D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII
S. S. Theol. D. & in Acad. Rostoch.
Professoris,

In Prophetam AMOS COMMENTARIUS.

In quo textus
Analysi perspicuâ illustratur,
Ex fonte Hebræo explicatur,
Locis S. S. parallelis confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur.

Usus verò in Locis Communibus ex ipsa
scriptura natis & probatis indicatur.

Adjectus est in fine index verborum & memorabilium.

Psal. 68, 20.

יוֹם יוֹם יַעֲמָס־לָנוּ הָאֵל יְשׁוּעָתֵנוּ

EDITIO TERTIA
Ab autore recognita & aucta.

) : (

ROSTOCHI,
Sumptibus Joachimi Wildii, Bibliopol.
Anno 1652.

ADMODUM REVERENDO, CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMOq; VIRO

Dn. M. HERMANNO SAMSONIO,

Paſtori & Antiſtiti apud Rigenſes primario, nec non vicini circuli Superintendenti vigilantisſimo, Domino, amico & fratri meo in Chriſto plurimùm honorando,

do, dico, conſecro

Auctor.

S. P.

Admodum Reverende, Clarissime, Excellentissimeq; Vir, Dn. Fautor, amice & frater in Christo plurimùm honorande: Commentarium hunc quum jam auctum & in quibusdam correctum jubebam ire in publicum, quem ante sexennium nemini inscripsi, volui nunc sub tuo nomine prodire, causasq; hujus mei facti habeo nec paucas, nec leves, sive eum, quem edo, prophetam, sive Te, cui eum offero, sive me, qui eum commentario quodam illustrare volui, sive denique hæc ipsa nostra spectem tempora, Cum enim pleriq; omnes prophetæ in dilectione & spiritu mansuetudinis, quod potissimum eorum officium erat, Salvatorem mundo polliceri, & firmis solatiis erigere conscientias consternatas,

hic

hic noster Amos, sicut & Jeremias præcipuè & maximam partem cum virgâ (ut apostolorum coryphæo loqui placet) venire est jussus. Et jam nominis sui Amos, quod onus notat, mensuram apud Israëlitas implere, malisque mala plurima graviter denunciare fideliter est conatus. Et hodie etiam fideles mysteriorum Dei dispensatores, quum plerique auditores sint mali & corrigi nescij, sæpius coguntur minas denunciare legales, quàm promissiones Evangelicas instillare. Exemplum quod hic sequantur tutò, si qui quærunt, velim sibi hunc Amos prophetam Dei animi imperterriti, & oris liberrimi proponant, & in animum sibi semper revocent, quod quidem sint ortu parvi, verum ex gratia Dei officio magni, & proinde meritò summi monarchæ legati mundo cedere nescij.

In horum numerum quum & tu, Vir Clarissime, jure mereris reponi, eum, qui legis usum egregiè monstrat, ad illum, qui legem pro re nata sedulò urget & securis inculcat, mittere volui, ut (quod ipse optimè nosti me non monente) si quid minus congruenter hujus seculi licentiosi moribus facere videaris, quum malitiæ frenum injicere studes, tamen omnia

Dei voluntati & sacræ scripturæ juribus convenienter te facere cum gaudio agnoscas, constanter pergas, nec quicquam de hoc recto, quem diligenter trivit noster Amos, tramite deflectas, hominum pravorum gratiam iramq; juxtà æstimans.

Gratulor utiq; tibi hanc mentem, quam vel ex proximis tuis literis humanissimè scriptis perspicere facilè potui, nempe serià hominum ad Deum conversione iram Dei (quâ tantum non sumus hactenus consumpti) vel averti, vel mitigari saltem optabas. Idcirco dum vestigia hujus prophetæ fideliter legis, commentarij brevis in eum facti dedicatione si tuam pietatem ac virtutes honoro, non utique officio me meo esse egressum existimabo.

Accedit, quod non modo mihi nuper in literis tuam insignem benevolentiam declarasti, sed etiam abundè eam cùm in patruele meo Dn. Johanne Tarnovio p. m. consilio & operâ juvando, tum in eo, quem non ita pridem commendabam, promovendo probavisti. Gratias omninò pro his debeo, nec spero ingratum tibi, Vir Excellentissime, accidere posse, si eas jam publicè

publicè habeam, quum referendi penes me nulla sit potestas.

Deniq; hac tempestate id nobis agendum esse video, ut, quos possumus honestè amicos nobis paremus, præsertim eos, quos Dei benignitas malorum inundationi subtraxit, & in locum tutum ac firmum asylum subduxit, nescij quod dies postera sit advectura, ubi omnia bellis ardent, & quibusdam in locis non satis benignos studiis, & iis, qui illis sunt dediti, patronos se præbent, qui ad clavum Reip sedent, juxtaq; salvatoris effatum debebant esse εὐεργέται, ut sanè luce meridianâ clariùs liqueat, semper esse quosdam Amatzjas, qui Dei verbum ejusq; ministros cupiunt vel exterminare, vel, si id per Deum & potentiores Dei vicarios non licet, saltem premere & miris modis divexare conantur. Accipe igitur à me fronte serenâ hunc libellum, & mihi favere perge, vir optime, ac Ecclesiæ bono per Dei gratiam diurna, Dabam Rostoch. 14. Jul. 1628,

R.V.D. addictissimus

JOHANNES TARNOVIUS.

In PROPHETAM AMOS,

PROLEGOMENA.

Jova juva, & mihi adjuta hoc onus
ob nominis tui gloriam, Amen.

Esaiæ 46. *v.* 1.

נְשֻׂאוֹתֵיכֶם עֲמוּסוֹת מַשָּׂא לַעֲיֵפָה׃

P*Rophetam Amos, qui ex Hebræorum recensione, inter Prophetas minores est tertius, cum Deo, explicaturus, hæc* octo præmittam brevissimè: 1. *Quis* 2. *Quid*. 3. *Quibus*. 4. *Quando*. 5. *Quâ occasione*. 6. *Quo fine prophetaverit*. 7. *Quæ ex hac prophetiâ spectanda utilitas*. 8. *Quæ generalis ejusdem divisio*. Προλεγόμενα.

I. Autor Secundarius, *seu persona, quæ ex instinctu Spiritus S. has prophetias & voce protulit, & literis consignavit* 2. *Petr.* 1, 21. *est* Amos, *Hæbraicè* עָמוֹס, *hoc est, onus seu sarcina gravis, cui nomen hoc optimè congruit, quia vehemens est Propheta, qui comminationibus ac reprehensionibus onustus venit, ut* D. Lutherus *rectè censet* in præfat. Germ. *ad* עָמַס *id est,* 1. Autor hujus prophetiæ. Amos unde dictus. Vera sententia.

 onera-

oneravit, vel onus impoſuit, unde dicit ipſe ſtatim in inſcriptione, דִּבְרֵי עָמוֹס*, q. d. verba gravia, quæ terra non ſuſtinet quemadmodum per calumniam ajebat Amazja cap.* 7. v. 10. *Quidam Veterum confuderunt hunc Prophetam cum patre Eſaiæ, eò quod uterq́; in græca verſione* Ἀμὼς*, & latinâ vulgatâ Amos iisdem ſcribitur literis, cumtamen apud hebræos diverſis illa duo nomina exarentur, & hic* אָמוֹץ*, noſter Propheta* עָמוֹס *dicatur; ille fortem & robuſtum denotat, ab* אָמַץ*, id eſt, fortis fuit, hic onus ſignificat.*

Ετυμολογία falſæ 1.

Vide hac de re plura apud Cornelium à Lapide in hujus Prophetæ argumento.

2. *Alij volunt nomen hoc proprium eſſe compoſitum ex* עַם*, populus, & ex verbo* מוּשׁ *ſive* מָשׁ*, quod neutraliter acceptum ſignificat, receſſit, & activè, amovit, avulſit, quaſi dicatur, populus avulſus, eò quod ipſe contra decem tribus potiſſimùm prophetet, quæ per idololatriam à cultu Dei veri & regno Davidis erant populus avulſus. Miror Cornelium à Lapide ſcribere: Amos idem eſt, quod populus avulſus, ut quoties Iſraëlitæ eum nominarent, meminiſſent, ſe eſſe Amos, & populum à Deo avulſum.*

3. *Niſi fortè cum aliis velis id nomen derivare ac componere ex* עַם *&* שָׁכָה *id eſt, deripuit, errore adhuc maiore.* Vide prologum latinum in hunc Prophetam ſecundum, & Philonem de nominibus hebræis, & alios, *qui inde ſua ſcripſerunt.*

Et falſæ explicationes.

Alij ἔτυμον *verum hujus nominis retinent, sed in applicatione & explicatione variant errantq́.*

1. Hieronymus *activè accipit, quando vertit* βαστάζων*: alij pleriq́; paſſivè, & inter hos quidam,*

2, Onuſtus *dicitur, quia ſpirituali gratia eſt plenus. Sic* prologus primus latinus in hunc Prophetam. *Id autem*

licet

licet non negemus de Propheta, tamen nomen suum longè ante habebat, quàm hac gratia plenus incedebat. Nonnulli denique Hebræi, & præcipuè R. Phinees *sic statuunt. Cur vocatur Amos? Quia lingvam oneratam seu impeditam habebat (Græci dicunt μογιλάλον, vel ψελλὸν etjam) quasi dicas oneratum lingua seu balbum, ut de Mose, licet aliis verbis, habetur* Exod. 4. 10. *Sed hoc est saltem ex traditione vanâ Judæorum. Nos hisce missis ad certiora & utiliora nos convertemus. Fuit hic Amos oriundus ex tribu Juda, conditione pastor, habitans Thekoæ, sed ex pastore ovium extraordinariè à Deo constituitur pastor hominum ad pascendum verbo, & ex errore in veritatis viam revocandam plebem Israëliticam, ut colligere licet ex cap.* 1,1. *&* 7,14. 15.

II. Argumentum & summa *hæc est :* Primùm *hostibus Ecclesiæ vicinis Dei judicia superventura ob impœnitentiam prædicit :* Deinde *Judæis & Israelitis eadem expectanda esse graviter monet; acriter eosdem idololatriæ, inhumanitatis & luxus nomine reprehendit; &, nisi resipuerint maturè, cùm alias pœnas, tùm regni utriusque eversionem & verbi divini subtractionem secuturam declarat, typis aliquot illustrat, &* tandem *promissionibus Evangelicis concludit.* 2. Quid prædicaverit.

III. Quibus prophetaverit *potissimùm & ipse indicat c.* 1,1. *c.* 3,1. *c.* 4,1. *c.* 5,1. *& ex c.* 7,10. *constat, nempè specialiter* regno Israëlis, *seu decem tribubus : de regno Judæ paucissima dicit, & ὡς ἐν παρόδῳ c.* 2, 4. *&* 6. *Nam quæ in initio de gentibus prædicit, Israëlitarum causa adfert omnia, ut inde, sibi imminentis futuræ di-* 3. Quibus prophetaverit.

vinæ vindictæ gustum capiant. Vaticinium autem hoc implevit Salmanassar, uti legere est 2. Reg. 17.

4. Quando vixerit.

IV, Quo tempore vixerit, *cap. 1. v. 1 exponitur: non tamen admodum præcisè, quando cæperit, & quamdiu prophetaverit. Conjectura si hîc locum habet, optima eorum videtur, qui statuunt, fuisse eum inter Prophetas, quorum vaticinia adhuc supersunt, secundum, cum Jonas præcesserit tempore Amatzjæ, filij Joas Regis Judæ. 2. Reg. 14. 13. 25. Hoseas autem aliquantò post Amos videtur vixisse quia sub pluribus regibus, & diutius prophetavit.*

5. Quâ occasione docere cœperit.

V. Hinc etiam occasio, *quâ cæpit prophètare Amos, elucet. Cum enim summa erat omnium rerum in utroq; regno felicitas, Jeroboam aliquot civitates, antea amissas, recuperabat, & sub Usia tribus Judæ maximè florebat, 2. Reg. 14, 20. 25, 2. Chron. 26. 6. 7. 8. 9. 10. 15. 16. sicut fieri amat, populus prosperitate hâc dementatus, sibi ipsi in hac impietate sua applaudebat, sine ullo judicij divini timore, Psal. 73, v. 5. 6. Hanc securitatem excussum ivit Deus, gravißimis hisce per Amos denunciatis minis, ut torpore isto ejecto, vel paucas, ex pereunte turba, servaret reliquias, Vide cap. 3, 6. 7. 12. c, 4, 6. 7. 8, 10. 12.*

9. Quis finis & scopus Prophetæ.

VI Finis *itaq;* & scopus *Prophetæ hujus idem est, qui est ceterorum omnium, ut scilicet homines ex sensu suæ miseriæ ad fontem misericordiæ, Deum Patrem per Christum adducat, â vitâ sceleratâ abducat, quâ illam meruerunt. Ideò proponit horribiles minas & promißiones suavissimas: Illas & generaliter proponit infidelibus peccatoribus, & speciatim iis, qui Dei esse & haberi volèbant populus, Judæis pariter & Israëlitis c. 2.*

v. 5.

v. 5. has profert & generales, quibus DEUS *omnes allicere studet nempe totum genus humanum, c.* 5, 4. 6. 14. 15. & *particulares, in vera ac viva Ecclesiæ membra, obedientia Evangelio, per & propter Christum promissum redundaturas c.* 9, 8 11.

VII. *Ex jam dictis licet utilitas hujus prophetiæ facile appareat: placet tamen* ὡς ἐν τῷ παρ., *eandem hîc in vestibulo spectandam exhibere, ostendendo.* quomodo præcipui fidei nostræ articuli in ea explicentur, & ex ea probari possint. 7. Usus hujus prophetiæ,

Quod enim ad locum de DEO *spectat, tribuuntur* DEO ἀνθρωποπαθῶς, sensus & affectus humani, *animadvertes, c,* 3, 2. 14 *Oculus,* 9, 4. 8. *agnoscere c.* 3, 2. *audire, c,* 5. 23. *loqui cap.* 5, 11. 13, c, 2, 1. 11, 16. *Vox.* 1, 2. *jurare, cap,* 4, 2, *cap,* 6, 7. 8, *prædicere futura, cap.* 4, 7 *cap.* 7, 8. 9. 17. *odorari* 5, 21. 22. *longanimem esse c.* 3. & 7, 8. & 8, 2. *odium erga idololatriam (quando videlicet punit, effectivè) id est, pœna eandem sequens, cap* 5, 4. 26. *cap.* 7, 8. 9. 17, & 8, 14. *pœnitere cap,* 7. 3. 6. *oblivisci* 8, 7. *dies cap.* 5, 18. 20. *rugitus, c,* 1, 2. *Quòd ad* attributa: *declaratur ejus justitia, cap.* 1, 3. 6. 9. 11. 13. *c.* 2, 1. 4. 6, *c.* 5, 24. *omnipræsentia, cap.* 9, 23. *gratiosa præsentia, cap.* 5. *vers.* 14. *omniscientia. cap.* 4, 13. *Adumbratur ejus majestas. c.* 4, 13. *cap.* 5, 8. *c.* 9, 5. 6. *Deus est author mali pœnæ. c.* 3, 6. 7. διδασκαλία in locis præcipuis doctrinæ Christianæ.

De Creatione, c, 9, 6.

De providentia, *circa mala, quæ permittit c.* 9, 17. *ordinem à se institutum ordinariè observat, c.* 8, 8. *cap.* 6, 5. *extraordinariè sæpè mutat c.* 4, 6. 7. 9. & *c,* 9. 6.

Sacræ scripturæ *autor Deus est c.* 1, 1. *c.* 3, 7, *omnes*

traditiones extra eam ficta, sunt mendacia c. 2, 4. *&* 4, 4. 5. *Contemptum ejus Deus graviter punit. c.* 2. 4. *c.* 8, 11. *eâ destituti pereunt æternum c.* 8, 13. 14.

De libero arbitrio, *quid possit in sui conversione, nempè præstare externam pædagogiam, cap.* 5, 14. 15. *cap.* 8, 11.

De peccato contra *conscientiam in genere ejusq; pœnâ c,* 1. 3. 4. *c.* 2, 1. *c.* 5, 12. *In specie de Avaritiâ c.* 8, 5. 6. *c.* 2, 3. 5. *De superbia seu fastu c.* 6, 8. 13. *De Ebrietate ac luxu, c.* 6, 4. 5. 6. *& c.* 2, 5.

De prædestinatione: *Quod pauci sint electi qui salventur, c.* 3, 12. *c.* 5. 14. 15. *c.* 7, 2. 5. *c.* 9, 8. 12. 15.

De Christo *c.* 9, 12. *Confer Actor,* 11, 26. *qui est noster redemptor c.* 9, 14.

De fide, *quæ est certa fiducia nitens Christo cap.* 5, 15. *Fiducia autem vana nitens aliis rebus reprehenditur cap.* 6, 1. 13.

De lege c. 2, 4.

De Evangelio, *ejusq; effectu cap.* 5, 4. 6. *De vocatione gentium c.* 9, 12.

De pænitentia, *quæ præcipitur c.* 4. 12. *c.* 5, 4. 6. 14. *quæ ad agendam eam excitant conciones reales sunt calamitates communes à Deo immissæ* (2. *Sam.* 24, 13. *Ezech.* 5, 16. 17. *&* 14. 13. 17. 19.) *fames cap.* 4, 6. *pestis. cap.* 4, 10. *c.* 6, 9. 10. *c.* 8, 3. *bellum, c.* 1, 5. *c.* 3, 14. *c* 5, 3. *c.* 6. 14. *c.* 7, 9. *c.* 9. 1. 10. *Exilium c.* 1, 15. *c.* 4, 10. *c.* 5, 27. *c.* 6, 7. *&* 8, 11. 17.

De bonis operibus *c.* 5, 15. *quæ sunt mandata à Deo* ἐθελοθρησκείας *autem, cultusq; electitios Deus odit, imò & omnia*

omnia opera à se præcepta non acceptat, si non fiant in fide, c. 5, 21. 22.

De Ecclesia *c.* 1, 2 *quæ à Deo conservatur & restauratur per Christum cap.* 9, 11. 14. *Ejus ministri mittuntur c.* 2, 11. 12. *c.* 3, 8. 13. *c.* 7. 15. *Odio habentur à mundo, cap.* 5, 10. *c.* 7, 10. *Sæpè prohibentur ac impiis prædicare verbum, c.* 2, 12. & 7, 12.

De justificatione. *c.* 7, 2.

De cruce, *cujus & hic finis est, ut homines resipiscant, quem si Deus ea non obtinet, graviter conqueritur cap.* 4, 7.

De Magistratu, *quod si non fecerit suum officium, non minus sit puniendus, quàm infimus de plebe, imò longè atrocius (Sapient.* 6, 6.) *sive sit regulus, cap.* 1, 4. 8. *sive sit Rex ipse, v.* 19. *sive judex vel princeps aliquis, cap.* 2, 3.

De morte, *quod sit à Deo hominibus immissa, tanquam justo judice c,* 4, 10. *c.* 6, 9. 10.

Quomodo refutari hinc possint errores, *suo exemplo ostendit Stephanus in N. T.* πρωτομάρτυρ, *cum in sua Apologia Act.* 7, 42. *ex cap.* 5, 25. *hujus Prophetæ superstitiosam templi & sacrificiorum observationem refellit.* ἔλεγχος.

Consolatio *quomodo hinc erui possit, exemplo suo præit Jacobus in primo Apostolorum concilio Actor.* 15, 16. 17. *ex cap.* 9, 12. *promissionem insignem citans, de restauratione Ecclesiæ Veteris Judæorum & adunatione gentium.* παράκλησις.

IIX. Deniq; videamus, quænam sit generalis divisio, & partes generaliores hujus prophetiæ, *ea sunt* duæ Partes prophetiæ.

Posterior continet cùm minas legales inclusas vel concionibus quatuor.

duæ: Prior *totius libri generalis inscriptio cap.* 1. 1. Posterior *prophetia ipsa,quæ* continet tùm minas *& hortationes legales,* inclusas vel nudis concionibus, vel typis, *eorumq́ accommodationibus:* tùm promissiones *Evangelicas c.* 9, 11.

Earum I. ejusque partes 2. cap. 1. & 2.

Conciones sunt quatuor, *quarum* Prima *continetur. cap.* 1. & 2. *Ejus* partes *sunt* duæ: *(1.) Generalis propositio documentorum sequentium, c.* 1. 2. *(2.) & specialis prædictio judiciorum Dei, obventurorum Ecclesiæ visibilis, tùm hostibus, quorum sex nationes recensentur, Syri, cap.* 1. 3. *Philistæi, v.* 6. *Tyrij, v.* 9. *Edomæi, v.* 11. *Hammonitæ, v,* 13. *& Moabitæ, c.* 2, 1. *quàm civibus, degentibus in regno cùm Juda v.* 4. 5. *tùm Israëlis, reliquis versibus*

II. Partes 3. cap. 3.

Secunda *habetur c,* 3. Cujus partes *sunt* tres *(1) Exordium v.* 1. *(2.) Propositio, in qua confertur Dei beneficentia, cum ingratissimi populi maleficentia seu iniquitate. ibid, v,* 1. 2. *quæ exornatur primùm tribus comparationibus, v.* 3. 4. 5. *deinde occupatione, quâ Propheta suum reliquorumq́ munus asserit. vers.* 6. 7. 8. *(3) Propositionis enarratio, exaggerans iniquitates populi, v.* 10. *& judicia propter eas impendentia, vers. seqq.*

III. Partes 4. c. 4.

Tertia *concio extat cap.* 4 *cujus* quatuor *sunt* partes *(1.) Exordium v.* 1. *(2.) propositio judii imminentis, v.* 2, 3. *(3.) Confirmatio, cuius duo membra: Prius, adhortatio sarcastica ad Idololatriam, vers.* 4. 5. *Posterius narratio præcedentium castigationem, quibus nihil proficit Deus: Non enim fame, v.* 6. *neq́ siccitate, v.* 7. 8. *nec aliis agri calamitatibus, v.* 9, *neq́ peste & bello, v.* 10.

neq́

neq; oppidorum subversionibus horrendis v. 11. *ad pœnitentiam compelli potuerunt.* (4.) Conclusio *tùm ob superincumbens malum,* v. 12, *tùm Dei majestatem,* v. 13. *revocans ad pœnitentiam.*

Quarta *concio comprehenditur cap.* 5. *&* 6. *Ejus* partes *iidem sunt* quatuor (1.) *Exordium,* v. 1. (2.) *Propositio judiciorum Dei, exposita summatim* v. 2. 3. *enarrata verò speciatim, tùm hortatione ad resipiscentiam, quá ea ante vertant, additâ conversis factâ promissione,* v 4. *tùm comminatione in refractarios directa,* v. 10. (3.) *Confirmatio, desumitur ex odio, quo Deus prosequitur peccata, quorum hîc potissimum duo genera, juxta duas legis tabulas ponuntur, nempè impietas in Deum,* v. 18. *seqq. & inhumanitas in proximum redundans, orta ex fastu & luxu immoderato,* c. 6. *primis* 7. *versibus.* (4.) *Conclusio, breviter repetens præcedentia, cùm odium Dei erga hæc peccata,* v. 8. *tùm pœnas subsecuturas,* v. 9. 10. 11. *quas fore inevitabiles, sequentes docent versus.* IV. Partes 4. cap. 5. & 6.

Atq; hactenus conciones nudæ: sequuntur eæ, *quæ sunt* ornatæ typis, Illi sunt quinq;. Primus locustarum, *adumbrans famem. cap.* 7 v. 1. 2 3. Secundus ignis, *portendens bellum,* v. 4. 5. 6. Tertius Libellæ, *significans eversionem regni,* v. 7. 8 9. *Atq; hæ tres sunt prophetiæ publicæ. Occasione autem earum inseritur prophetia quædam privata contra Amaziam, interdicentem Amoso, ne prophetet, directa, in forma dialogi proposita,* v. 10. *seqq.* Quartus *typus est* corbis æstivorum fructuum *figurans finalem subversionem Israëlis, cap.* 8, 1. 2. 3. *Ejus accomodatio* (ἀναγωγὴ) *constat* Vel typis ornatæ quinque quorum I. II. & III, cap. 7. IV. cap. 8.

contestatione gravissimà Israëlitis peccata exprobrante, quibus illam commeruerint, v. 4. seqq. & enarratione malorum obventurorum, v. 9. &c. Quintus *deniq; typus est* percussio superliminaris præcipuæ templi portæ, *designans abdicationem Israelitarum, cap. 9, 1. 2. 3. 4. quæ omnino futura erat ob majestatem Dei, ab illis graviter læsam, v. 5. 6. à quo tamen magnis fuerant affecti beneficiis, v. 7. & ob id meritò ut ingratissimi puniendi, v. 8. 9.*

V. cap. 9.

tùm promissiones Evangelicas.

Promissiones Evangelicæ *de instauratione Ecclesiæ per Christum, & vocatione gentium, adumbrantur typo Veteris Ecclesiæ, & temporalibus benedictionibus figurantur, cap. 9. 11. &c. Et hactenus de Prophetia Amos in genere.* Videamus *nunc, cum Deo,* primam concionem.

Cap. 1. & 2.

CAPITIS PRIMI ET SECUNDI
ARGUMENTUM.

argumentum

S*Ex gentibus Judææ vicinis propter illatas Ecclesiæ injurias & obstinatam impœnitentiam: regno verò Judæ & Israelis propter spretam legem, cultum Dei idololatriâ corruptum, inhumanitatem, impuritatem ac sceleratam in peccata gloriationem bellicas clades, aliasq; calamitates inde orituras, Deus adeò severè prænunciat, ut eas inevitabiles ostendat futuas, ac maximè horribiles, cum antea neq; beneficiis ad pietatem adduci potuerint*

ANA-

ANALYSIS.

Præter generalem *hujus libri* inscriptionem, quæ *habetur, cap.* 1, 1. continet *hæc* quinq;. 1. Quid, *seu summam rei videlicet verba, sed ea non inania, verùm talia, quibus res subsunt.* 2. Qualia, *divina nempe, quia sunt visio, divinitus revelata.* 3. Cui *facta sint, nimirum* Amos, *qui aliquot circumstantiarum adjectione describitur, nempe, quis, cujus conditionis, undè oriundus.* 4. Ad qvos *Israëlitas scilicet, strictè sic dictos, quatenus opponebantur Judæ regno.* 5, Quando *seu quo tempore, quod indicatur latè, nempe diebus Usiæ & Jeroboam, filij Joas, & strictè, biennio ante illum terræ motum horribilem, tùm temporis notissimum. Præter hanc, inquam,* ἐπιγραφὴν καθολικὴν *conc.onis primæ partes sunt* duæ:

Concionis primæ præter inscriptionem, in quâ quinque 1. 2. 3. 4. 5. partes duæ

Prior generalis *sequentium omnium* propositio, *quæ maximam partem minas, de futurâ desolatione terræ sanctæ continet: quarum illæ metaphoricè per rugitum & vocem Dei tremendam: hæc per ariditatem agri, montiumq; luctum denotatur, v. 2.*

Prior, generalis propositio.

Posterior est specialis applicatio, cùm ad Ecclesiæ hostes, *tùm cives, ita instituta, ut iniquitati maximæ, quæ peculiari aliquo & insigni scelere nominatim expresso denotatur; pœna constituatur gravissima. Ecclesiæ hostes non omnes recenset Propheta: sed tantùm* finitimos, *qui eam ad omnes quatuor mundi plagas cingebant, veluti* I. ad septentrionem *sita erat* Syria, *cujus regia Damascus v. 3. Rex Chazael, & Benhadad v. 4. cuiq; propter crudelitatem atrocissimam, post*

Posterior specialis applicatio, cùm ad Ecclesiæ hostes finitimos 1. Syros.

alia multiplicia peccata exercitam v. 3. judicium severissimum, nempè totius regni eversio v 4. ac populi deportatio, denunciatur v. 5. II Inter meridiem & occidentem *finitima erat* Philistæorum regio, *quorum Satrapiæ quatuor hic nominantur, Gaza v. 6. Asdod, Ascalon, Ekron v. 8.* III. Inter occidentem & septentrionem *vicini erant* Tyrij, *v. 6. Cui utriq; populo, cùm ob alia peccata plurima, tùm inhumanitatem eam, quâ deportaverunt Israelitas, deportatione perfectâ. v. 6. & hi præterea erant fœdifragi v 9. idem supplicium, quod Syris, denunciat, v. 7. 8. & 10.* IV. Ad meridiem *contermini erant* Idumæi, *quibus cùm aliis multis flagitiis contaminatis, tùm imprimis hostili animo ac odio perpetuo suos consanguineos Israëlitas persequentibus, v. 11 supplicium idem comminatur. vers 12.* V. ad Orientem in parte septentrionali *erant* Hammonitæ, *quos cùm ob alia multa scelera, tùm inprimis ob nefandam immanitatem, quâ sævierunt in gravidas mulieres, v. 13. idem supplicium manet, sed quàm celerrimè & crudelissimè inferendum, v. 14, & 15. VI. Deniq;* Moabitæ versus ortum in parte meridionali *contermini, iisdem ferè peccatis, & singulari tyrannide, idem omninò commeruerunt supplicium, cap. 2, 1. 2. 3.*

2. Philistæos; 3. Tyrios. 4. Idumæos. 5. Hammonitas. 6. Moabitas.

Hactenus *Eccelesia visibilis hostibus sua exprobravit maleficia, & iis à Deo decreta supplicia:* Nunc porrô ad ejus cives se convertit Propheta. *Vel si mavis, hactenus invectus est in extraneos, nunc deinceps Dei reprehendit domesticos,* qui distribuuntur in familias duas: Unam Jehudæ, *quam cùm aliorum peccatorum atrocissimorum, tùm contemptus divinæ legis indigni, ac idolo-*

tûm ejus. cives, & Judæos

idololatriæ reum peractum, v. 4. iisdem terret, quibus superiores gentes, judiciis, v. 5. Alteram Israëlis, *cujus cum recensuisset peccata in genere, & in specie ipsi objecisset inhumanitatem, ac barbariem crudelissimam, v. 6, 7. impuritatem maximam ib, & Idololatriam impudentissimam, v. 8. eadem* crimina exaggerat per comparationem maleficiorum à Deo præstitorum, *tùm in malorum depulsione seu deletione hostium potentissimorum, v. 9. tùm in bonorum collatione, tàm corporalium, in eductione ex Ægypto, protectione in deserto, & possessione datâ in terrâ Cananæa, v. 10. quàm spiritualium, doctrinæ videlicet cœlestis & cultus veri, v. 11.* & Israëlitarum maleficiorum, *v 12. quibus subjicitur* judiciorum Dei prædictio: *Prius similitudine plaustri figurata, v. 13. Posterius verò apertè satis enunciata, fore videlicet, ut omnes capiantur, & captivi abducantur, quod μεγαλῳ ὀνόματι insigni indicatur, v. 14, & 15. vel nudi aufugiant, fugâq; turpi vitæ suæ consulant, v. 16.*

& Israëlitas, quibus peccata commissa exprobrat.

ac judicia immittenda prænunciat.

CAPUT PRIMUM.
INSCRIPTIO,
Versus I.

IN titulo *hujus operis potissimùm conditio ac vocatio Prophetæ describitur, ut inde constet de Autoritate Prophetiæ divinâ, Hæc sunt* verba Amos דִּבְרֵי *quæ vox quia sæpissimè res ipsas notat, hoc loco significat, non tantùm dicta, sed & facta seu oracula quævis, quæ Domino revelante edidit Amos, sicut dagem phrasis occurrit, Jerem. 1, 1. Eccles. 1, 1. Hagg. 1, 12. Tob. 1, 1. Luc. 1, 4. & hoc loco idem notat, quod pleriq; Prophetæ omnes* dicunt

דָּבָר sæpè notat rem.

dicunt in primo concionum suarum vestibulo, Verbum JEHOVÆ, *quod factum est ad Amos. Vide Joel. cap.* 1, 1. *Unde v.* 3. *& seqq. dicit: Sic ait Jehova, cum ipse proloqueretur Amos,* qui fuit inter illos pecuarios. *Hebr.* בַּנֹּקְדִים *qui quidem sæpè non sunt* ποιμένες *ipsi, Hebræis dicti* רועים *latinè opiliones, sed Domini pecoris, rem pecuariam exercentes, qui servorum in pascendo utuntur operâ. Inde & ipse rex Moab* נוֹקֵד *fuisse dicitur,* 2. *Reg.* 3. 4 *Hoc loco tamen ipsos pastores notat, quod patet ex collatione, cap.* 7, 14. *ut sciamus, pauperiorem fuisse hunc sui gregis & Dominum & custodem, imo simul armamentarium, unde ibidem se vocat* בּוֹקֵר *id est, armamentarium. Quò facit, quod* ex Thekoa *fuisse scribitur, quod erat exiguum oppidum in regno Judæ à Rechabaamo muris munitum,* 2, *Chon.* 11, 6. *Hieronymi tempore viculus, ob sterilitatem non admodum cultus. Vide* 2. *Chron.* 20, 20. 1. *Machab.* 9, 33, *Jer.* 6, 1. 1. *Chron.* 2, 24, *&* 4, 5. 2. *Sam.* 14, 4. *Quando autem vocatur è Tekoha id est, Tekohanus, sciendum, quod scriptura ita describat à patria interjecta præpositione. vide Johan.* 12, 21. *&* 18. 38.

Differentia inter נֹקְדִים *&* רֹעִים *&* נוֹקֵד

Sunt autem hæ prædicationes & verba, quæ vidit *propriè per revelationem divinitus factam, quæ est verbi* חָזָה *hoc loco emphasis. Unde Propheta infra cap.* 7, 12. חֹזֶה *& quivis alius olim ita dictus est,* 1. *Sam.* 9, 9. *& Prophetarum oracula,* חֶזְיֹנוֹת *Joel.* 2, 28. *Es.* 1, 1. 2. *Chron.* 9, 29. *Dan,* 7, 7. *& quæ vidit inprimis* super עַל *id est, De, vide, Joel.* 1, 3. *Alij vertunt contra, sed tum est synecbdoche, quia etiam prospera prædicit.* Israële, *strictè accepto vocabulo, pro regno decem tribuum*

Εμφασις verbi חָזָה & in de derivatorum.

baum, temporibus Huzziæ regis Judæ, 2 *Chron.* 26. 1, *qui alio nomine vocatus est Azarja*, 2. *Reg.* 15, 1. & temporibus Jeroboami, filij Joas, regis Israëlis, *qui fuit secundus Jeroboam, ut hoc modo distinguatur à famosiss.mo illo filio Nebat, qui divisionis populi autor, & vitulos erexit in Dan ac Bethel*, 1. *Reg.* 12, 15. 25. 28. 29. biennio ante illum terræ motum, לִפְנֵי הָרָעַשׁ, *qui tùm temporis ob magnitudinem erat notissimus, quippè qui fuerat adeò terribilis, ut qui viderent saltem, trepidi aufugerent*, *Zach*, 14. 5. *Josephus lib* 9. *antiq, cap.* 11. *& ad quam alludere videtur Amos, cap.* 3, 15. *Unde etiam in græcâ versione rectè additur articulus. Pleriq, interpretes recentes, sicut & Hebræi veteres, & quidam Patres, referunt ad eum annum, quo rex Huzzija elephantiasi percussus est*, 2. *Regum* 15, 5. 2. *Chron*, 26, 20. *Alij ad tumultus & motus bellicos, qui mortem Jeroboami secuti sunt, trahunt*, 2. *Reg.* 15, 8. 13. 14. 19. 20. *Alij deniq, ad annum mortis Huzzijæ respicere prophetam existimant, conferentes cum hoc loco, cap.* 6. *Esa. v.* 1. 4. *Sed quia scriptura disertè temporis articulum rei tùm in vulgus notæ, nobis non annotavit, malumus in occultis dubitare, quàm de incertis contentiosè litigare: præsertim cum de usu hujus versus nobis constare queat, quem jam in locorum communium annotatione videbimus, ubi pauca hæc ex Corn à Lap. subjecero. Ultima hæc visio Prophetæ Esaiæ menti fiebat, & terræ motus imaginarius, & Jeroboam tum erat mortuus. Refert eum ipse ad annum Huzzijæ* 27. *&* 65. *ante excidium Samariæ.*

Terræ motus terribilis.

quando contigerit.

LOCI

CAPUT TERTIUM.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.

Qui audit ministros verbi, audit Deum Illi doceant etiam legem.

I. Qui audit verbi divini præcones, Deum ipsum audit, Luc. 10. 16. vide Comment. nost. in c. 1. Joël. v. 1. & c. 3. v. ult.

II. Ex interpretatione nominis Amos discimus, non semper veniendum ministris verbi cum lenitatis Spiritu & Charitate, sed etiam quandoq; cum virga, 1. Corinth. 4. 21.

Deus vocat, ad illud ministerium sæpè, obscuros. etiam pecuarios.

III. Deum non esse προσωπολήπτην, Joël. 2, 28. C. 4, qui eligit stulta hujus mundi, ut sapientes confundat, 1. Corinth. 1. 27. & nos habeamus hunc thesaurum in testaceis vasis, ut hujus potentiæ supereminentia sit Dei & non ex nobis, 2. Cor. 4. 7. quæ per infirmitatem consummatur, 2. Cor. 12. 9. Hac de causa Deus sæpè homines obscuros vocat, per quos magna præstat, tàm in statu politico, 1. Sam. 9 16. 2. Sam. 7, 8. Psal. 113. 7. 8. quàm Ecclesiastico, ab aratro vocans Elisæum, 1. Reg. 19. ex navi filios Zebedæi, Matth. 4. 16. 21. ex telonio Matthæum, Matth. 9, 9. imò omnes Apostolos idiotas, Act. 4. 13. à pecoribus verò sumens Mosen, Exod. 3. 1. & hunc Amos, indicat sibi negocium esse cum hominibus, qui obbrutuerunt, Psal 32 9. & proinde brutorum more à magistris pecorum sunt tractandi, ipsis animalibus, quæ possunt assvefieri, ut norint & sequantur suum Dominum longè pejores, Esa. 1, 10. Job. 10, 4. Vide de utroq; hoc argumento plura in Ps. 8, 3. Psal. 5. 10. Psal. 7. 3. Ps. 10. L. C. c. 2. generali prioris partis. Ne tamen Anabaptistæ *hoc pro se dictum existiment, cogitent, quod hi omnes non venerint, nisi missi, Joël. 1, 1.*

IV. Ex

IV. *Ex sensu Tropologico nominis Thekoa, cum verbum* תָּקַע *(unde illud derivatur,) quando ei nomen tubæ vel buccinæ adjungitur, clangere significet, monemur, debere omnes verbi divini ministros esse Thekõanos, hoc est, qui exclament gutture, tanquam buccina extollant vocem suam, Esa. 58, 1. Hos. 8, 1. quò videtur alludere Jeremias, cap. 6. 1. Thekohi, inquit, clangite buccinâ.* Ministri verbi voce sua clangant ut buccina.

V. *Tantùm ea esse populo proponenda, quæ Domino revelante in scriptura habemus & agnovimus Esa. 8, 20. Job. 5, 39.* Tantùm doceant verbum Dei.

VI. *Cum populus Israëliticus Prophetas indigenas & satis nobiles audire nollet, infra cap. 2, 11, 12. mittit ipsis Deus extraneum & pecuarium, Israëlitis Judæum, quem extremè oderant. Vide de hoc argumento, 1. Cor. 1, 21. & c.* Audiendi sunt, quicunq; sint

VII. *Etiam in rebus prosperis non esse blandiendum populo, sed severè eum, cum in securitatem prolapsus est, objurgandum, qui prosperitate plerumq; redditur deterior, Jer. 31. 18. 19. Thren. 3. Hos. 2. & 5. Ps. 119, 70. 71. Proverb. 1. 32.* In rebus prosperis non blandiantur suis

VIII. *Spiritus Dei pro suâ φιλανθρωπίᾳ prædicit futura mala, ut sibi homines caveant, infra cap. 3. 7. 8. Joël. 2, 1. in loc. C.* prædicuntur mala, ut caveamus.

IX. *Post severam pœnitentiæ prædicationem, cum illa parùm est efficax, Dominus mittit prodigia, qualia sunt terræ motus, cometæ, monstra, diluvia &c. Osiander. Applicentur ad hæc tempora nostra.*

PARS PRIOR.

Versus 2.

Cum igitur ventura mala, revelante Domino,

cogno-

cognovisset Amos, dixit: Nolite, ô Israëlitæ, vobis propter fortunam præsentem in vestrâ impietate applaudere; divina bonitas ad resipiscentiam vos invitavit hactenus illa felicitate, Rom. 2, 5. quam quia nefariè contemnitis, severè vos puniet. Jehova *enim* ex Sione, *à qua vos defecistis, & ubi adhuc verus Dei cultus ex parte viget,* rugiet *& velut impastus leo horribiliter vociferans terret animalia, vos terrebit &* vocem suam *potentem, quam sustinere homo non potest, Exod. 20, 19. imò ad quam ipsæ etiam res brutæ exhorrescunt, Ps, 29, 3. 4.* edet ex Jerosolymis *(Vide Joël 3, 16. & cap. 2. 11. Licet ibi alium in finem hoc dicatur, nempè DEUM esse satis potentem, qui possit hostes Israëlitarum retundere: Hîc verò ad ipsos Israëlitas commovendos adhibeatur. Confer infra c. 3, 8. Hos, 11, 19. Esa. 5, 29. & 25, 30.) Hinc verò adeò futurum est, ut* lugeant habitacula pastorum. & arescat vertex Carmeli, *montis maximè fertilis, Joël. 1, 19. 20. Hos. 4, 3. Quibus pastoralibus similitudinibus Amos pastor hoc indicat, fore, ut quicquid in regno Israelis amœnum ac pretiosum est, breviperéat, etiam ipsorum prælatorum seu primatum palatia, siquidem magistratus sæpè dicuntur pastores in scripturâ, Jer. 23, 2. Esa. 44. ult. Mich. 5, 2. Et in summâ. Amos, quia in deserto vixerat, ubi nota erat leonum feritas, illorum rugitui vocem Domini terribilem, eversionem urbium casarum pastoritiarum demolitioni & vastitatem regionis ariditati montium comparat. Heronymus. Naturale est, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & unusquisq́, in quo trivit ætatem, illius similitudinem proferat. Sic & Amos artis suæ usus est sermonibus & c. Atq́ ita*

Jehova rugit & vocem suam edit

Amos pastor pastoralibus utitur similitudinibus.

ita simul famem prædicit, ut Joel. 1, 10. 11. *c.* 2, 3. *infra c.* 4. 7. 8. *Alij quidem posterioris membri verbum vertunt (pudefiet) sed illud non est* יֵבֹשׁ *quod hoc loco extat in textu, sed* הוֹבִישׁ *de quo Joel* 1. 10. 11.

De voce Carmeli hæc libet notare hîc obiter. Usurpatur vox hebræa כַּרְמֶל primùm *propriè de monte, qui fuit duplex, unus ad meridianam plagam in tribu Juda, in quo oppidum cognomine, Jos.* 15, 55. *ubi habitavit Nabal,* 1 *Sam.* 25, 2. *infra cap.* 9, 3. *alter ad septentrionem Tyrum versus lacui Galilææ imminens, ubi Elias fuit frequens,* 1. *Reg* 18. *& quia uterq; erat fertilissimus, hinc fit ut* secundò *per ἀντονομασίαν accipiatur, &* latè *pro quovis loco ubere ac fertili, Esa* 29. *&* 32. *Jer.* 2. *Esa.* 16. 19. *&* strictè *pro loco vineis & arvis destinato, sicut etiam plenam viridem ac teneram spicam denotat, Levit.* 2, 14. *q. d.* כַּר־מָלֵא, *id est, pascuum plenum. Eodem modo vox* בָּשָׁן *Baschan in scriptura usurpatur propriè & appellativè, pro loco fertili. Hinc boves Baschan, Psal.* 22, 13. *id est, pinguissimi & ferocissimi. Per verticem itaq; Carmeli notat reges, regumq; arces & palatia, ut in singulis minarum denunciationibus inferiùs videre est. Vide Corn, à Lapid.*

Vox Carmel usurpatur propriè & appellativè.

Sicut & vox Baschan.

LOCI COMMUNES.

Ex Versu 2.

I. *Vox Dei per se est vivifica; per accidens verò malis mortem infert, vide Joel.* 3, 16. *& c.* 1, 10. 11. *quemadmodum de lege potest probari ex Rom.* 7, 9. 10. 11. *& de Evangelio.* 2 *Cor.* 2, 15. 16.

Vox Dei vivificat & occidit

II. *In Ecclesia non tantùm Evangelium, sed & lex propo-*

Lex est cũ Evan-

gelio docenda.

proponenda, *Luc.* 24, 47. *Joh.* 1, 17. 2. *Cor.* 3. 6. & *seqq.* 1. *Cor.* 4, 21. *Matth.* 16, 19. *ne simus* ἄνομοι θεῷ, ἀλλ' ἔννομοι χριστῷ, 1. *Cor.* 9, 21. *quod est contra Antinomos. Confer etiam Luc.* 10, 34. *Matth.* 13, 52. *Apoc.* 15, 3. *Zach.* 11, 7. *Jer.* 1, 10.

PARS POSTERIOR.

Qua occasione propheta vicinis gentibus prædicerit excidium. Ratio 1.

Vers. 3. *Postquam in versu præcedente propheta in genere omnis generis mala & calamitates superventuras prædixerat. Et verò soleant homines, ex verbo Dei accusati, in alios vicinos respicere, quibus se meliores esse putant, & ex eorum felicitate sibi impunitatem polliceri, hanc rimam primùm obstruit Propheta, & docet, non esse, quod Israelitæ gentes vicinas prætexant, siquidem potius earum exemplo & vastatione discere debeant, fore ut non impunè & ipsi dimittantur.*

Deus peccantibus non potest parcere.

Si enim Deus genti quodammodo ignoranter contra homines peccanti non parcit, (Confer Gen. 20. 4. 5. *Luc.* 33 25.) *quanto minus Israelitis scienter & malitiosè contra Deum delinquentibus parcet, Luc.* 12, 47. *Jac.* 4, 17. *præsertim cum per ejus justitiam aliter fieri haud queat, quæ quidem nec statim, nec temerè punit: Sed neq; desperatos planè inulta sua scelera & flagitia auferre sinit.*

2.

Neq; est, quod prætendant Israelitæ, se esse filios Dei: siquidem enim sunt in peccato profanis gentibus non modò pares, sed & longè superiores, in pœna haud impares futuri sunt. Neque possunt jam existimare, fortuitò hæc mala sibi contingere, cum & sibi ipsis & gentibus ruinas audiant longè antè prædici, & tot esse possint subjiciendi de excidio futuro Israelitarum vaticinij confirmationes, quot sequuntur præ-

prædictiones. In quibus omnibus duo notanda sunt: Scelus, ejusq́; supplicium. A regno autem Syriæ facit initium, quandoquidem hoc erat tùm temporis reliquis potentius. Sic *igitur* ait Jehova *per Amos, vers.* 1. *&* 2. Propter tres defectiones Damasci,&propter quatuor non avertam illud, *puta malum venturum, & quod jam pridem meruerunt, quodq; præcedente versu per rugitum leonis, & vocem Dei terribilem significabatur: Vel, ut alij interpretes malunt, non convertam eum, nempe populum, eô quod in profundum venerit, & omnes admonitiones bonas contemnat, extraordinariè non convertam, sed, ut cœpit, ruere permittam, donec impleverit iniquitatis suæ mensuram, Gen.* 15, 16. *& tùm demum dignam suis factis reportet mercedem. De hac posteriori explicatione pluribus agit à Lapide. Vatablus, non revocabo eum, scilicet furorem meum, Unde jam aliquomodo constare potest, quid in hac & seqq. comminationibus, v.* 6. 9. 11. 13. *&, cap.* 2. *v.* 1. 4. 6. *per tres & quatuor defectiones Propheta intelligat, videlicet si aliquoties tantùm ex infirmitate, vel etiam malitiâ peccassent, futurum fuisse, ut Deus ex suâ clementiâ aversurus fuisset hæc judicia sua gravissima, clementiam illis castigandis adhibens, & ad pœnitentiam reducens, Sed cum jam ex obstinatâ malitiâ tribus peccatis adjecerint quatuor & multis plura, adeoque nullum peccandi fecerint finem, donec iniquitatis compleverint mensuram, & jam ad numerum septenarium (qui in scripturâ perfectissimus, & sæpè pro infinito ponitur, Lev.* 4. 6. 7. *cap.* 26, 18, 21 24. 28. *Gen.* 4, 25. *&* 33. 3. *Job.* 5, 19. *Prov.* 9, 1. *&* 24, 10. *Psal* 12, 7. *&* 79, 12. *Matth.* 17, 21.

In singulis prædictionibus notanda duo

I. Contra Syros

לא אשיבנו

quid.

Quid intelligat Propheta per tres & quatuor defectiones,

multas scilicet.

 2. *Chron.*

2. *Chron.* 29, 21. *Pluribus idem de* terq; quaterq;, *& de ternario numero probat, sed h, l. citra necessitatem, à Lapide: si placet, adi ejus Comment. pag. 276.) pervenerint, non posse fieri, ut vel amplius conniveat Deus, vel ullam gratiam præstet ulterius, quia cum hactenus diu expectaverit, ut agerent super tribus aut pluribus peccatis pœnitentiam, nihil profecit, sed ad summam jam pervenerunt iniquitatem, quæ planè corrigi nequit, ut vel ex sola maleficij specie videre est, quæ unicuiq; huic generali accusationi subjecta est. Breviter: per Synechdochen tria & quatuor peccata pro multiplicibus & gravißimis posuit, intelligens obstinatam & incurabilem malitiam, quæ ex subjecta peccati specie elucet. Nam DEUS pro suâ longanimitate bis terve, Job. 33, 29, h. e. aliquoties, connivet: Sed tandem, ubi nullus peccandi sit modus peccatores punit, ita*

compenset longas ut gravitate moras.

Sic exponit etiam h. l. Osiander. Tum septenarium numerum implent peccata hominum, cùm scelera sceleribus cumulant, nec resipiscunt. Sic Vatablus, Clarius, So & Mariana, vide Comm. in Zach. 3. 9. Exerc. bibl. edit. 3. p. 139. 140. *Minùs igitur rectè hoc à quibusdam ad tertiam & quartam generationem, Exod. 20. 4. refertur, quasi Deus tùm demum ad vindictam properet, cum quarta generatio iisdem peccatis inhæret. Omnium verò fit ineptißimè, si quis cum R.* Solom. *Jarchi ad quartum quodvis peccatum, quasi hoc potißimùm puniatur, trahat. Ita tamen ferè cum Theodoreto. Hieronymo, Hugone, Lyra explicat à Lapid. & probare nititur ex Prov* 31, 15, 18, 21. 29. *sed male, cum* אַרְבַּע *malè vertatur à multis*

non quartam generationem.

non quartum quodvis Peccatum

tis per τὸ quartum, *quum rectius vertatur* quatuor, *id quod demonstrat plurale* אַרְבָּעָה *sic v.* 21. *est affixum plurale & v.* 29. *etiam constanter pluralis numerus est in textu hebræo: unde Syrus, Arabs, latinus vulgatus, & noster germanicus etiam corrigendus est. Quodnam autem Syriæ, cujus metropolis ac urbs regia, seu ut cum scripturâ loquar, Esa.* 7, 8. *caput est Damascus, scelus est, ex quo illam desperatam colligere licet malitiam? Hoc, Hoc est, ait Propheta,* quod trituraverint tribulis ferreis Gilhadem (*Gilead*) *quæ erat sævissima in rebelles pœna,* 1. *Chron,* 20, 3. 2. *Sam.* 12, 31. *Joel.* 3, 14. *sed quia hi Gilhaditæ jam erant captivi, & se victoribus in fidem dediderant, immanis erat sævitia, illâ eos afficere, quemadmodum Chazaële prædixerat Elisæus,* 2. *Reg.* 8, 12. *Et hic complevisse videtur, cum post regnum domus Achabi cepit Gilead, & terminos Israelis occupavit,* 2. *Reg.* 13, 3. *c.* 10, 31. *c.* 12. 18. *Confer cap.* 2, 13 *infrà.* Scelus Syrorum.

Vers. 4. *Cum verò multa alia Syrorum tulerim scelera, ait Dominus, hoc non possum ferre ulterius,* sed immittam ignem, *hoc est scripturæ stylo, in piis quodlibet genus calamitatum & crucis, Psal.* 66, 12. *Dan.* 12, 10. *Esa.* 48, 10. *Jer.* 6, 29. & 9, 7. *Mal.* 3, 3. *in impiis verò omne genus flagelli ac consumptionis inevitabilis, sicut vis ignis, cum semel exarsit in sylvâ magnâ, inevitabilis est, donec omnia consumpta fuerint Prov.* 30, 16. *Notat itaq; hoc loco gravem atq; irrevocabilem Dei iram ad eversionem civitatum, quibus prædicitur, processuram, Psal.* 79, 5. *veluti bellum, Psal* 78, 63. *pestem Lev.* 10, 2. *hostem externum Num.* 21. 28. *Jer.* 48. 45. *seditionem internam, Jud.* 9, 15. 20. *confer v.* 23, *ut supra Joel.*

Ignis in scriptura notat calamitates.

& iram Dei inevitabilem

Joël. 1, 19. *&* 2. 3, 30. *infra cap.* 7. 4. *Nihil igitur aliud vult, cùm dicit Propheta, immittam ignem, quem omnis generis calamitates maximas, & imprimis bella horridissima, his, inquit, affligam* domum Chazaelis, *regis in Syria potentissimi, & in Israëlitas crudelissimi,* quæ *devorent &* consumant palatia Benhadad *filij ejus, imò antecessorum & posterorum ejus: siquidem videtur hoc nomen fuisse Syriæ regum commune, ut patet ex collatione horum locorum,* 1. *Reg.* 15, 20. *& cap.* 20, 16. 2. *Reg.* 6, 24, *c.* 8. 9. *cap.* 13. 3. *Ut olim commune nomen regum Ægypti Pharao, & postea Ptolomæus; regum Philistinorum Abimelech; Amalekitarum Agug; Scytharum Scoloti; Parthorum Arsaces; Tetrarcharum in Galilæa Herodes; Reginarum Æthiopiæ Candaces. Sicut etiamnum hodiè Rom. Impp. Cæsares: Reges Gallorum, Delphini, (præcipuè reguli, qui nondum sedent ad clavum) Hispanorum, Infantes vocantur. Inspice quæ allata Comm. in Hos. c.* 5, *v.* 12. *Ps.* 16. *& in cap.* 10, 6. *pag.* 326. *Falsum autem est, quod scribit à Lapid. Adad sive Adarezer fuit primus rex Syriæ* 2. *Sam,* 8 *ad hoc dicti sunt successores Benhadad. Neutrum enim ibi dicitur, nec quod fuerit primus, nec quod rex Syriæ, sed quod rex Zobæ fuerit, eumq́; juvare voluerint Syri, v.* 3. 5. *Sic* 1. *Chron.* 18, 3, 5. *Vide & confer cum hoc loco Jer. c.* 49, 23. 27. *Esa.* 17, 1.

[Margin: Adad commune Benhadad nomen, ut plura alia.]

Vers. 5. *Neq́; tantùm exteras gentes excitabo, quæ Syriæ bellum inferant: sed etiam his adero, cæpta eorum secundans. Nam* confringam vectem Damasci, *eoq́; effracto patefaciam hostibus aditum in ipsam urbem, ut eâ potiantur. Quoniam vectis in scriptura potentiam ac robur, & per Synecd.* propugnacula *quævis fortissima-*

[Margin: Vectis.]

sima, quibus confidunt incolæ, significat, Jer. 49, 31. *Ps.*147, 13. *Civitatibus verò munitis ab hoste occupatis,* ex scindam habitatorem è convalle Avenis(*Hebraicè* אָוֶן *quod nomen appellativè sumptum iniquitatem notat: Unde hoc loco versionum varietas)* tenentem sceptrum è domo Hedenis, *Hebraicè* עֶדֶן *Esa.*37, 12, *Ezech.*27.23. *quod vocabulum tum est quinq; punctorum, appellativeq; acceptum ἡδονὴν seu voluptatem significat: quia ibi domus erat regia, in quâ voluptatibus indulgebant, quemadmodum in convalle Avenis magna dominabatur iniquitas, ut ita omnia hæc omnino conveniant nominibus. Per tenentem vero sceptrum, periphrasi in scriptura usitatâ notatur regulus, seu qui successurus in regno erat. Et hæc est prior pœna, Syris denunciata, nempe totius regni vastatio: sequitur posterior, videlicet populi in longinquas regiones deportatio. Urbibus enim munitis ab hoste occupatis, civibus occisis, & regulis pri matibus è medio sublatis,* migrabunt populus, *ac plebs infima* Syriæ in Kirum, *quam urbem Hebræi interpretes in Assyriâ collocant, quò Syros abduxit Tiglatpileser,* 2. *Reg.* 16, 9. *Josephus lib.* 9. *c.* 13. *Chaldæus & alij Interpp. plerìq; Cyrenen in Ægypto seu Aphrica pentapoli intelligunt, quod non videtur verisimile. Confer infrà cap.* 9, 7. *& Act.* 2, 10. *Strabo l.* 17 *LXX, videntur derivare à* קָרָא *dum vertunt valdè insciter ἐπίκλητος, nominatus. Ne autem videantur hæc ἀδύνατα, repetit Propheta, à Deo hoc prædici, qui nequit mentiri, & qui tàm potens est, ut noverit multò abundantiùs præstare, quæ prædixit, quâm nos intelligimus. Eph.* 3, 20. *Futurum igitur omninò hoc est: quia* dixit Jehova, *qui quando dixit, facta sunt. Ps.* 33, 9 & 148, 5.

אָוֶן

עֶדֶן

nomina ominosa.

Tenens sceptrum

Kirus quæ urbs

II. Contra Philistæos.

Verſ. 6. Hactenus denunciatio prima judiciorum divinorum, ex qua ſequentes facilè poſſunt intelligi, non ſolùm quia eodem modo, ſed etiam, quia iiſdem ferè verbis proponuntur. In ſecundâ comminatione, quæ ſpectat ad Philiſtæos (vide Joël. 3. 4. Jer, 42. Ezech. 25. Eſa. 15.) eadem omnino pœna: Cauſa autem ejus, præter obſtinatam malitiam, peculiaris adjicitur, ſumma videlicet crudelitas ac tyrannis. Sic *igitur* ait Jehova: Propter tres defectiones Gazæ, *hoc eſt, Philiſtæorum, quorū regia etiam hæc erat, 1. Sam, 6, 17. ubi habitabant olim Enakim, Joſ. 14, 12. & 15. 13. 14. 47. quam ſolam hîc nominat Propheta in delicto, reliquas pleraſq; etiam in pœnâ nominatim exprimit, quia hæc erat metropolis, unde etiam nomen, q. d. Valentiam, & quò ducebatur Simſon jam captus Jud, 16, 21. Nomen eſt antiquum, & extat Gen, 10, 19. Deut. 2, 23. 1. Sam. 6. 17. unde refutari poteſt Mela lib. 1, de ſitu orbis cap. 11. aſſerens, eam tempore Cambyſis demum accepiſſe hoc nomen, & quidem perſicum, quod etiam falſum.* etiam propter quatuor non avertam iſtud. *vide ſuprà v. 3. quia etiam hi ſceleribus ſuis ita me Deum ſuum provocarunt, ut ſint veniâ porrò indigni, id quod ſatis inde elucet,* quod deportaverint ipſi *omnis humanitatis ac fidei immemores, crudeliſſimè tractarint, infenſiſſimiſq; hoſtibus tradiderint Iſraëlitas, quando ab aliis preſſi, ad hos vicinos ſuos tanquam aſylum confugiebant, atq; ita deportaverint* hoc deportatione perfecta *in quâ nemo evadit, & ubi nullum habetur perſonarum, ſexus, ætatis, conditionis, diſcrimen: ſed in omnes æquè ſævitur, Jer. 13, 19. & hoc ita atq; ideò fecerunt,* ut concluderent *Iſraëlitas, & pla-*

Eorum metropolis Gaza.

Deportatio perfecta.

& planè in potestatem traderent Edomæis, *Esa. 29, 4. sicut legere est de Philistæis, 2. Chron. 21, 16. 17. & 28. 17. 18. atq; ita ex futuris de his non malè potest judicari. Etiam hic aliquid viderunt interpretes græci, quando vocem hebræam* שְׁלֵמָה *verterunt Theodotio,* τελεία, *Aquila,* ἀπηρτισμένη, *Symmachus,* ἀναπεπληρωμένη.

Vers. 7. Hactenus iniquitas Philistæorum, quorum quia quinq; erant satrapiæ, quæ recensentur, Jos. 13, 3. 1. Sam. 6, 16. 17. 18. quatuor præcipuarum hic mentionem expressam facit in pœnâ denunciatâ, quemadmodum Sophoniæ 2, 4. Zach. 9, 5. 6. itidem harum quatuor hîc enumeratarum nomina disertè tantùm ponuntur. *Quinq; Philistæorum satrapiæ.* *Gath verò omittitur fortè quia tùm fuit in ditione regum Jehudæ, ex quo eam cepit David 2. Sam. 8, 1. 1. Chron. 18, 1. Pœna autem est hæc, quam suprà comminabatur Syriis v. 4.* *Gath cur omittatur.* Sed immittam ignem in murum Gazæ, qui consumat palatia ejus *sicut hoc completum esse vaticinium legimus per Huzijam, 2. Chron. 26, 6. qui perrupit murum ejus & propterea Actor. 8, 26. vocatur Gaza deserta. Joseph. l. 9. anti. Jud. cap. 14. Aliter à Lapide, suaq; probat ex Jer. 25, 20. & 47, 4. Sic etiam Winckelmannus quem vide pag. 241. 242.*

Vers. 8. Et *porro* exscindam habitatorem ex Asdod: *Vide quæ de hac urbe ex Hieronymo, Eusebio, Stephano annotavit Drusius ult. edit. pag. 259. Comm in h. l. & pag. 260. de Ascalone & Hekrone, quin* etiam *civibus absumptis, exscindam* tenentem sceptrum *seu regulum, vel satrapam quemq;* ex Ascalon. *Et hinc digressus postea* convertam manum meam, *faciemq; meam iratam, plagamq; inferam iteratam* contra Hekronem,

 & si

& si quæ aliæ *sunt* Philistæorum reliquiæ, peribunt *omnes. Vide Josephum lib. 9. cap.* 13. ita ait אֲדֹנָי יֱהֹוִה Dominus Jehovi, *Deus ille verus Israëlitarum, unus essentia, trinus personis, id quod obscurius in V. T. in quo umbræ obtinebant, Coloss.* 2, 17. *Hebr.* 10, 1. *indicari statuimus hac punctorum & literarum conjunctione, ab usitatà punctatione nominis tetragrammati recedente. Assumit enim puncta nominis* אֱלֹהִים, *quod era plurale, & sæpè in V. T de vero Deo usurpatum personarum itidem adumbrat Trinitatem. Interim non dicimus, esse hæc puncta in his & similibus locis aliena, ut vult Bellarminus & alij, sed gravissimo consilio ad indicandum mysterium unitatis essentiæ, per literas nominis* יְהֹוָה, *quod unum verum Deum notat absolute acceptum, & Trinitatis personarum per puncta nominis* אֱלוֹהִים *pluralis numeri quidem propria, huic verò nomini singularis numeri appropriata ac subjecta esse.*

Dominus Jehovi quid notet.

Vers. 9.10. *TERTIA prædictio spectat ad Tyrios, contra quos etiam agit Propheta Es.* 23. *Jer.* 47. *Ezech.* 26. 27. 28. *ubi eorum describitur potentia. Hebraicè ipsorum urbs vocatur,* צֹר, *Unde cum primùm apud Latinos factum esset Sar, postea Ennius Pœnos Sarrâ oriundos dixit & poetarum Latinorum princeps, purpuram optimam Sarranum vocavit ostrum,* 2. *Georg. v.* 506. *Juvenalis purpurâ nitentes Sarranas vestes appellat, quia Tyri optimè præparabatur. Hanc urbem florentissimam & munitissimam, ac coronam maris Esa.* 23, 8. *quæ primò ut regnum vigebat,* 2. *Samuel.* 5, 11. *Nebucadnezar primùm expugnavit, Esa.* 23, 13. *& cum vires recollegisset post annos* 70, *& ex regno erat libera Respublica facta,*

III. Contra Tyrios. צֹר

facta, ab Alexandro Magno secundò fuit diruta, ut narrant historici, & idem Propheta prædicit, v. 15. 17. Scelus peculiare, ex quo incurabilis eorum malitia hoc loco apud Prophetam probatur, est violatio juris naturæ: Neq; *enim* sunt, *(inquit Amos)* recordati fœderis fraterni, *puta olim inter Davidem & Hiramum, Tyriorum regum initi, 2. Sam. 5, 11. 12. 1. Chron. 14. 1, 1. Reg. 5, 1. & per Salomonem renovati, ibid. v. 12. qui ab Hiramo frater vocatur, 1. Reg 9, 13. puta affectu & amicitia. In scriptura enim fratres quintuplici modo dicuntur.* Tyrij fratres Israëlitarum.

Fratres in scriptura.

I. Naturâ fratres, Germani ac uterini. 1. Uterini.

II. Cognatione, ut consanguinei. Confer Gen. 13. 8. & 14, 12. 14. & 31, vide Gen. 31, 23. 2. Reg. 10. 13. Unde conciliari possunt hæc duo loca, 2. Chron. 36, 10. 2. Reg. 24. 19. Sic consobrini & patrueles Christi, dicuntur ejus fratres & sorores, nempè, quod erant cognatione proximi, Matth. 12, 47. & 13, 55. 56. Marc. 6, 3. Actor. 1, 14. 2. Cognatione.

III. Gente, ut Judæi omnes Lev. 19. 17. & 25, 35, 36. Quò etiam referimus, quod posteri fratrum, fratres dicuntur, Deut, 23, 7. & infra in hoc Prophetâ v. 11. Sic Paulus Israelitas sæpè vocat fratres, Actor. 13. 26. & 22, 1. & 23. 1. Petrus, Actor. 2. 29. & 15, 7. 3. Gente.

IV. Religione, quomodo omnes Christiani sunt fratres 1. Cor. 15, 6. Quomodo Paulus gentes, ad quas scribit, fratres sæpissimè appellat, Rom. 1, 13. 4. Religione.

V. Deniq; conjunctione quavis, vel societatis, Job. 30, 34 Prov. 18, 9. vel collegij. 2 Reg. 9. 2. Actor. 1, 16. vel amicitiæ, quomodo Salomo & Hiram, Achab, & Benhadad, 1. Reg. 20, 32. vel tandem patriæ & vicinitatis, un- 5. Conjunctione.

de proximus quisq; frater in scriptura nominatur, Gen. 19. 7. & 24. 4. 1. Sam. 30, 23. Matth. 18, 15. 21. Vide Joel. 2, 28, Atq; hæc explicatio simplicior longè esse videtur, quàm illorum, qui his verbis intelligi volunt ipsam sanguinis propinquitatem, quæ erat inter Esau & Jacob: q. d. Propheta: Prodiderunt Tyrij Israëlis posteros Esavi posteris, quamvis scirent horum majores fuisse fratres. Ut enim omittam, hanc naturæ conjunctionem, non nisi valdè impropriè fœdus dici posse, ita non tam Tyrij, quod intendit Propheta, quàm Edomæi accusarentur. De Tyriis itaq; sic ait Jehova: Propter defectiones Tyri, & propter quatuor, non avertam illud, *suprà v 3.* eò quod tradiderint Edomo *seu in ejus manum ac potestatem concluserint* Israëlitas, deportatione perfectâ *supra vers. 6. confer quæ leguntur in Psalmo, 83, 6, 7. 8.* Sed immittam ignē in murum Tyri, qui consumat palatia ejus, *supra vers. 4. & 7. Vide Jerem, 27, 3. & 47, 4. Ezech. 29, 18. Id itaq; tenendum, quod scribit D. Winckelman, Idem Tyro accidit, quod aliis emporiis, ut omnis generis vitia, superbia, fastus, luxus, libidines & alia dominentur. Ubi autem superbia, ibi contemptus; ubi contemptus, ibi immisericordia erga egenos. Eventus autem huic vaticinio respondit. Vide præter illa, quæ superius dicta, Josephum lib. 2. contra Appionem & Curt. lib. 4. & Joseph. l. 9. c. 14. Justin. lib. 11.*

VI. cōtra Edumæos Edōm prosequitur gla.

Vers. 11. Porrò cum in secunda & tertia prædictione egerit Propheta contra eas gentes, quæ Israëlitas tradiderunt Edomæis, nunc quarta contra hos ipsos subjicitur, in qua quæ sunt ipsi cum reliquis communia, veluti v. 11. Propter tres defectiones, & propter quatuor non aver

avertam illud *v.*12. Sed immittam ignem, qui consumat palatia *ex præcedente facilè possunt intelligi, Singularia sunt, in iniquitatis summæ demonstratione,* quod Edom (*h. e.* μετωνυμικῶς, *posteri Edomi, qui ex eventu quodam hoc nomen sortitus est, cum antea nomine proprio diceretur Esau, Gen. 25, 25. & 30. per nomen verò hoc vel Esavi proprium non unum singularem hominem, sed gentem integram ex eo descendentem denotari constat ex Genes. 25, 23. Mal. 1, 2 3. 4. Rom. 9, 12. 13*) prosequatur gladio fratrem suum, *primò quidem ipse Esau, cum Jacob benedictionem à parente obtinuisset, Gen. 27, 4. Postea cum Jacob ex Mesopotamia rediret, Gen. 32, 6, & deniq; quod huc potissimum spectat, posteri ejus, cum & Israëlitæ ex Ægypto in terram promissam tenderent, armata manu iis occurrerunt, probibituri ne hanc occuparent, Num 20, 20. & cum ab aliis erant pressi, etiam hi percusserunt eos, & captivos abduxerunt, 2. Chron. 28, 17. & deniq; cum ab aliis in captivitatem abducebantur, hi Idumæi, ne vel ullus Israelitarum evaderet, diligenter caverunt, Hobadi. v. 10, 11. Psal. 137. 7. Est igitur valdè detestandum facinus, quod Edom ejusq; posteri ita prosequantur gladio fratres suos, nullâ habitâ ratione propinquitatis sanguinis, sed exuant omnē pietatis ac humanitatis sensum, seu* στοργὰς *naturales, ac* corrumpant viscera sua, *hoc est, intermittant commiserationes intimas, quæ cum viscerum commotione fiunt; unde à nomine* רֶחֶם *id est, vulva seu uterus, est & verbum* רָחַם *ex intimis dilexit visceribus, quomodo parentes, & præcipuè matres, amant liberos, & nomen verbale* רַחֲמִים *id est, misericordia vehementissima, quem-*

dio fratrem suum.

רַחֲמִים σπλάγχνα.

quemadmodum apud græcos ἀπὸ τῶν σπλάγχνων *eodem modo verbum emphaticum* σπλαγχνίζεσθαι *deducitur, & Luc. 1, 78. emphaticè infinitam Dei misericordiam* σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ *vocat, & Apostolus misericordiam nostram ardentissimam, Col. 3, 12. nominat* σπλάγχνα οἰκτιρμῶν. *Plutarchus* περὶ παιδ. ἀγωγ. *explicat ita* ὅθεν καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὀνύχων ἁπαλῶν ἀγαπᾶν τὰ τέκνα, *cui affectui ibidem* εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον *opponit. Sed ô immanitatem abominandam, quod non semel atq; iterum gladio prosequuti sunt Israëlitas, sed &* in perpetuum discerpat ira ejus, *ut feræ sævissimæ,* & furorem suum observent in æternum, *nec unquam deponant. Alij explicant, cum furor ejus observet in æternum, ut sit sensus: nunquam non molitur vi aperta exitium populo Israelitico, & si vi non potest, intus tamen simultatem alit & nocendi occasionem quærit: quæ explicatio posset habere locum, si esset in textu hebræo* שָׁמְרָה *cum tamen sit* שְׁמָרָה *verbum cum affixo. Hebræi norunt quid velim. Atq; ita hoc scelus exaggeratur, 1. â circumstantiâ personæ, quia est in fratrem uterinum, ejusq; posteros. 2. Ab iræ immanitate, quæ erumpit hostiliter sine ulla misericordiâ, 3. Deniq; à temporis diuturnitate.*

Themam & Botzra. *Vers. 12. Singularia in pœna sunt, quod affirmat Propheta, fore, ut evertantur cùm reliquæ, tùm civitates hæ duæ præcipuæ* Theman *sic dicta à Theman nepote Esavi Gen. 36, 15. aliàs accipitur illa vox 1. pro civitate Idumææ 2. pro regione in terra Gebalitica. 3. pro monte Hab. 3, 3. 4. pro omni australi plaga* & Botzra, *de quibus vide Jer. 9, 47, & 49. 7. Obad. v. 8. Esa. 63. 1. & 34, 6,*

quarum

quarum hæc habebat solum pascuis lætissimum, unde ovium Botzræ Mich. 2, 12, fit mentio. Quod verò hæc Jerem. 48, 24. dicitur esse Moabitarum civitas, non est quod quenquam turbet, siquidem possunt esse duæ, pluresve eodem insignitæ nomine, ut Bethlehem Judæ seu Ephrata & Zabulonis, Cæsarea Philippi & Stratonis, Cana Galilææ & Syrophœnitiæ, Antiochia Syriæ & Pisidiæ.

Vers. 13. *QUINTA prædictio extera filios Ammon concernit, qui tamen contra à plerisq; receptam opinionem, finitimi quidem, sed distincti populi ab Hammonitis, nonnullis esse videntur, 2. Chron. 20, 1. de quorum ortu Gen. 19, 38. Sed quia paulò post fit expressa regiæ Hammonitarum urbis mentio.* 2. *quoniam hæc nomina aliàs inter se permutantur, &* 3. *quia pater & author omnium Hammonitarum fuit dictus Ben-Ammi* בֶּן־עַמִּי *atq; hinc ejus posteri* בְּנֵי־עַמּוֹן *optimè dici queant, potius statuimus, ipsos Hammonitas intelligi, & in loco obducto, præpositionem* בְּן *significare ultra vel trans, q. d. venerunt filij Ammon, & qui trans eos habitabant. Sunt hîc etiam quædam peculiaria, tùm in iniquitate declaranda, tum in pœna denuncianda. In iniquitate, quod neq; à summæ crudelitatis genere abstinuerint,* eò quod diffiderint gravidas, *Hebraicè* הָרוֹת *quam vocem cum quidam malè confudissent cum* הָרִים *id est, montes, putarunt Ammonitas hoc loco accusari illius criminis, quod in movendo termino solet admitti, Deut. 19, 14. quia sequitur in textu,* ut dilatarent terminum suum. *Sed si vocis naturam, textûs cohærentiam, odium inveteratum horum populorum contra Gilhaditas, morem tùm usitatum*

.V Contra Ammonitas.

quinam & unde dicti.

differunt הָרוֹת & הָרִים

tum & alia quædam scripturæ loca huc pertinentia respiciamus, in aliam ut eamus sententiam, necesse est, quæ brevitatis ergò unicuivis colligenda relinquimus, ex Jud. 11, 1. *Sam.* 11. 2. *Reg*, 8, 12. & 15, 16. *Hos.* 14. 1. *Jer.* 49. 1. *seq. & hunc præsentis loci sensum esse statuimus: Filij Ammon nullam sævitiæ genus omiserunt, quod non in Gilhaditas superatos exercuerint, adeò, ut etiam id, quod est in expugnatione urbium extremum, tentarint, ac læserint, imò diffiderint gravidas, ne liberi parentibus in possessionibus relictis succederent, atq; ita ipsi vacuam terram occuparent, nemine, qui eam vindicare & asserere posset, superstite. Atq; ita exaggeratur scelus* 1. *à circumstantiâ personarum, quod duos homines uno ictu occiderint, & quidem innocentes, qui resistere non poterant, quibusq; jure gentium ac naturæ parci solet.* 2. *à causâ, ut dilatarent terminum suum, quæ est avaritiæ species. Potest id exaggerari ab indignitate rei, quod ob possessiones non adeo magni precij nobilissimis non pepercerint creaturis.*

Vers. 14. *In pœnâ est hoc peculiare,* 1. *quod per Hypallagen proponitur,* succendam ignem in muro, *pro succendam totum murum igne* 2. *quod prædicit Metropoli Hammonitarum* Rabbæ, *urbi munitissimæ (postquam reædificata est.* 2. *Sam.* 11, 1. 12, 26. & 27.*) peculiariter pœnam superventuram inexpectatò, quàm celerrimè (turbine quippè nil celerius) & cum terrore maximo, quia simul & prælium & incendium futurum est, idq;* cum clangore die belli, *Jer.* 49, 4. *& cum* procellâ die turbinis. *Conf. Jer.* 27. 6, *Ezech.* 21, 20. 1. *Macc.* 5, 6. *Drusius etiam præter priora: succendetur cum turbine, quia ignis, cui turbo adjunctus, latiùs grassatur,* 3. *quod tanta sit futura*

Rabba metropolis Ammonitarum.

futura clades, ut non tantùm homines plebei, sed etiam summi, qui superfuerint, in exilium sint deportandi.

Vers. 15. Nam abibit rex eorum in deportationem, ipse cum omnibus Principibus suis simul. *Quod enim nonnulli interpretes existimant loqui Prophetam de Idolo, quod dicebatur Melchom, ex vitio versionis latinæ vulgatæ est, nec meretur refutationem prolixam, cum textus hebræus hoc loco habeat* מַלְכָּם *non* מִלְכּוֹם *ut habetur, 1. Reg. 11, 5. confer Jerem. 49, 3. ubi etiam legimus* מַלְכָּם *Malè igitur censet Cornel. à Lap. quum scribit; unde Melchon hebr. idem est, quod rex eorum.* Non est h. l. Melchom.

LOCI COMMUNES.

Ex Versu 2.

I. *Communis illa, octo comminationibus in iniquitatis magnitudine demonstrandâ, abhibita formula primò Dei longanimitatem juxtà ac justitiam indicat: Illam, quòd non statim ob unum alterumvè delictum ad vindictam prosiliat, sed benignitate sua ad pœnitentiam ducat, Rom. 2, 4. 5. 2. Petr. 3, 9. vide Psal. 7. 13. 14. hanc, quod peccatum nec velit, nec impunitum dimittat, si non agatur de eo pœnitentia, Psal. 5, 5.* Dei longanimitas, & justitia

II. *Cum omnia scelera dicuntur* פְּשָׁעִים, *id est, rebelliones seu defectiones, puta ingrati vasalli à suo benignissimo Domino, regredimur in memoriam lapsus primorum parentum, qui à Deo ad diabolum, à vitâ ad mortem, à bonitate ad malitiam, à felicitate ad miseriam miserè defecerunt, Gen. 3. Unde cum hujus originis respectu, tùm imprimis, si eodem modo à scientibus & vo-* Peccata sunt rebelliones.

 lentibus

lentibus committantur peccata, rebelliones dici merentur. Vide de hac & cognatis appellationibus peccati Chemnit, p.1.L. Cl. 7. c.2.

Ecclesia undique angustatur.

III. Quia fit mentio hostium Ecclesiæ ab omnibus mundi plagis eam angustantium, docemur, hanc verè esse lilium inter spinas, Cantic. 2,2. & velut naviculam fluctibus ab omni parte infestatam, & tantùm non obrutam, Matth. 8, 23. 24. Vide Joël. 3, 20.

Dei omnipotentia potest evertere omnem potentiã.

IV. Quod nulla potentia sit tanta, quam evertere nequeat Dei omnipotentia; vide in Psal. 10, 5. 6. 12. 13. 15. quia omnes ambulantes in superbia potest dejicere, Dan. 4. ult. Luc. 1, 51.

Crudelitas.

V. Crudelitas est Deo exosa, Joël. 3, 6. & à Diabolo, qui homicida est ab initio, Joh. 8, 44. ortum habet, unde hic tàm Judæos, quàm gentes, sæpè eò deduxit insaniæ, ut proprios suos immolarent filios, Lev. 18, 21. 2. Reg. 23, 11. Jer. 7, 31. & 19. 5. Esa. 30, 33.

VI. Etiam hoc adde, quod Deus hostes Ecclesiæ à se vocatos & armatos puniat, ubi modum excedunt in castigando Dei populo. Vide quæ dicta in Hos. 1, 4. Zach. 1, 15. Ex crudelitate in populum Dei exercita consequitur impiorum ruina. Osiander. Deus par pari refert, estq́ crudelis in crudeles, à Lap. Confer Esa. 14. & 29. &c. Ezech. cap. 25. & seqq. Jer. 47. &c.

Deus est ignis consumens.

VII. Nos ex his exemplis pœnarum ita copncludamus: si illis populis ignaris divinæ voluntatis in verbo revelatæ non pepercit, multò minus nobis parcet, quibus verbum suum dedit Luc. 12, 49. Matth. 11, 22. 24. & 10, 15. D. Winckelman.

Ex vers. 4. I. Deus est ignis consumens, (non placatus.

tus scilicet per filium) Deut. 4, 24. & 9, 3, Heb. 12, 29. Osculandus igitur filius est, ut non irascatur Dominus & pereamus in viâ, quum exarserit ira ejus, Ps. 2, 12.

II. Causam cùm omnium calamitatum, Gen. 2, 17. & 3, 16. Rom. 5, 12. & 6, 23. tùm eversionis regnorum & oppidorum esse peccata corrigi nescia, Sir. 10, 8. Exemplo sunt Sodoma & Gomorrha, Gen. 19. Cananitæ, Lev. 18, 24. 25. Nebucadnezar, Dan. 4. Belsazar ib. c. 5. Jerosolyma, Luc. 19, 43. 44. III. In hæc exempla intueamur, ita concludentes; si Deus vicinas gentes, quæ puram Evangelij doctrinam non habent, ita punit, quid nobis futurum est ingratis? Luc. 12, 47. Osiander. — Causa calamitatum sunt peccata.

Ex vers. 5. I. Apud Deum nulla esse προσωποληψίαν, etiam in pœnis, suprà c. 1, 1.

II. Nisi Jehova custodierit civitatem, frustrà sedulus est custos, Ps. 127, 1. Ille est qui confirmat vectes portarum ejus, Ps. 147, 13. eosdemq; confringit, ut hoc loco Propheta ait. — Deus custodit civitatem.

III. Cum obedimus Deo nostro, dominamur aliis: cum non auscultamus ejus voci, crudeliter dominantur alij nobis, Deut. 28. 7. 23. 25. 44. Non autem improbat Deus honestas voluptates, quibus Reges & alij magistratus inter gravissima negocia quandoq; reficiuntur, sed tùm si neglecta Dei gloriâ, & subditorum salute in perpetuis voluptatibus volutentur. Osiander. — Pii dominantur alijs.

Ex vers. 6. Afflictis non est addenda afflictio, Ps. 109, 6 In specie potest hoc applicari viduis & orphanis, quando etiam illi per vim exuuntur bonis, quæ habent, Exod. 22, 22. 23. 24. — Afflictis non est addenda afflictio.

Ex vers. 7. vide supra v. 4. Ex Osiandro subjice

Tandem superba palatia sanguine pauperum ædificatæ, in cineres & ruinas rediguntur.

Manui Dei nemo potest resistere.

Ex vers. 8. I. Dei manus est omnipotens virtus, cui nihil potest resistere, Ps. 89, 14 Esa. 48, 12. 13. & 66, 2. Matth. 26. 64. Hebr. 1, 3. & 8, 1.

II. Quando subjicit, Et peribunt reliquiæ Philistæorum, discimus, Deum cum impiis in pœnis aliter agere, quàm cum populo suo. In hoc enim semper aliquod semen sanctum conservat. Esa. 1, 9. D. Winckelman.

In V. T. umbræ, in N. T. major lux.

III. In V. T. cum omnes fidei articulos, tùm etiam illum, qui est de unitate essentiæ & Trinitate personarum in divinate obscuriùs esse propositum, Col. 2. 17. Hebr. 10, 1. Esa. 9, 1. seqq. Nunc verò in N. T. omnia dilucidiùs explicata sunt per filium, ejusq; Apostolos, Johan. cap. 1, 18.

Fœderis violatio grande scelus est.

Ex vers. 9. Cùm omnis fœderis violatio grande scelus est, valdeq; Deo exosum, Esa. 24, 5. Exemplum est in Zidkia rege 2. Reg. 25, tùm imprimis, quando etiam jus naturæ nefariè exstinguitur, Rom. 1, 31. 2. Tim. 3, 3, 4. Quia etiam Tyrus erat emporium celeberrimum, videmus, mercatorum, institorumq; levitatem, avaritiam & luxum graviter puniri. Osiander.

φιλαδελφίαν, Deus omninò requirit.

Ex vers. 11. I. Cùm Deus & naturæ lege per στοργὰς *à primo ortu inditas, & lege morali severè mandaverit, ut fratres se diligant ex animo, Rom. 12. 10. Hebr. 13, 1. 1. Pet. 1, 22. & 2. 17. & 3, 8. 2. Pet. 1, 7. idemq; valde probet, Ps. 133, 1. Prov. 18, 19. Sir. 35, 2. Econtrario vix dici potest, quantum ei displiceat, si fratres implacabili ardeant odio. Vide 1. Johan. epistolam, Etiam Osiandrum in h. l. & multò magis à Lapide p. 282. Vide Cainum,*

Ismae-

Iſmaëlem, Romulum Jugurtham. Videndus etiam Petrarcha dial,83, Ariſt.l,7. polit. cap. 7. & adagium: Fratrum iræ.

II. Ira citò deponenda eſt, ſi qua inter fratres vel Chriſtianos exorta, Eph. 4, 26. Exemplo Patris noſtri cœleſtis, qui non in æternum litigat, neq; in ſeculum iram aſſervat, Pſal. 103. 9, Sic etenim faciet Pater cœleſtis nobis, ut nos fecimus, ſi non remiſerimus unusquisq; fratri ſuo ex corde delicta ipſorum, Matth. 18, 35. Unde oramus quotidiè: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus illis, Matth. 6. 12. 14. 15. Condonemus igitur mutuò, ſi quam adverſus aliquem habuerimus querelam, ſicut & Chriſtus condonavit nobis, Col. 3, 11. maximè quia qui odio indulgent, à regno Dei excluduntur Gal. 5, 20. 21. & ira hominis, quod juſtum eſt, coram Deo, non facit. Jacob. 1, 20.

Ira eſt citò deponenda.

Ex verſ. 12. Quoniam Eſavi poſteri, & imprimis cives Theman & Botzræ, apud omnes ſapientiæ & potentiæ laudem obtinebant, Obad. v 8, 9. Jer. 49, 7. Eſa. 34, 6. Baruch. 3, 22. & nihilominùs hîc iisdem ſubjiciendi dicuntur calamitatibus, quibus alij minùs intelligentes ac potentes, diſcimus, quod nullum conſilium, nulla ſapientia, nulla intelligentia ſit contra Deum Prov. 21, 30. ſed quod ſtultitia Dei ſapientior ſit hominibus, & infirmitas Dei validior ſit hominibus 1. Cor. 1, 25 ſeqq. Ne igitur glorietur ſapiens in ſua ſapientia, neq; potens in ſuâ potentia: Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſe ſcire & cognoſcere me, ait Jehova, Jer. 9, 23. 24.

Nullum conſiliũ adverſus Dominũ.

Ex verſ. 13. I. Avaritiam reverà eſſe radicem malorum omnium, 1. Tim. 6, 10. & quod, qui volunt diteſcere, incidant

Avaritia radix malorum omnium.

dant in concupiscentias multas dementes, ib. vers. 9. Quid enim dementius, quàm optimam Dei creaturam, quæ est in hoc mundo visibili, ob rem n.hili, vel terræ portionem exiguam crudeliter enecare? cùm nec ferarum ulla crudelitas sit tanta, quæ saviat in suam speciem Qua de re Plin. differit prolixius l. 7. c. 1. *Sen. epist.* 104.

Gravidæ sunt reverenter tractandæ.

II. Cum Deus adeò severè se puniturum dicit læsionem gravidarum mulierum, docemur, honestè & reverenter eas esse tractandas, ne conceptus fœtus, unde tàm nobilis formatur creatura, vel lædatur, vel omninò pereat, Exod. 21, 22.

Termini non sunt movendi.

III. Termini violationem seu translationem clandestinam esse furti speciem & magnum scelus, Deut. 19, 14. & 27. 17. *Prov.* 22, 28. & 23, 10. *Sennacherib gloriabatur, se transtulisse terminos populorum: sed postea in eas angustias redigebatur, ut ne quidem in templo sui idoli esset tutus. Et tyranni ob hanc injustitiam vix locum sepulturæ in propria terra inveniunt Esa.* 28. *D. Winckelman.*

Deus belli eventum dirigit.

Ex vers 14. *Deus belli eventum ex sua fingit sententia, Joel.* 2, 7. 9. *Et Dei manum expectent vindicem, qui, ut sua augeant, aliena rapiunt. Osiander.*

Magni peccantes etiam puniuntur.

Ex v 15. *Etiam reges, & quicunq; in eminentia aliqua & dignitate sunt constituti, si peccaverint nefariè, pœnam divinam, & quidem talionis effugere haud posse, Sap.* 6. 6. *Exemplum est in Adoni-bezek Jud.* 1, 6. 7. *Davide* 2. *Sam.* 12, 9. 10. 11. 12. *Confer quæ scribit in h. l. Osiander.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

PRæter Analysin hujus capitis suprà traditam, si quis popularem ejus requirat divisionem, videbit partes TRES, *juxta tres prædictiones, quæ restant : quarum* prima *prædicit superventura judicia Moab. v.* 1. 2, 3. Secunda *Judæ, h. e, regno duarum tribuum, v.* 4. 5. Tertia Israëli, *seu regno decem reliquarum tribuum, v. 6. Et quoniam prima prædictio etiam exteram concernit gentem, à nonnullis in caput primum rejecta est. Ita autem sonat.* Popularis hujus capitis divisio.

PARS PRIMA.

Vers. 1 Sic ait Jehova: propter tres defectiones Moab, & propter quatuor, non avertam illud. *v.* 3. *c.* 1. sed immittam ignem, qui consumat palatia, *ib. v.* 4. & exscindam Judicem è medio ejus, *ib. v.* 8 *His jam missis generalibus formulis,* specialia, *cùm* in iniquitate, *tùm* in pœna videamus. Quemadmodum *præcedentes populi Hammonitæ ex Ben-Ammi filio Lothi, ex incestu cum minore natu filiâ commisso, ortum suum ducebant, Gen.* 19, 38. *Ita hi Moabitæ, contra quos jam prophetat Amos, à Moab filio Lothi, ex incestu cùm majore natu filiâ commisso, oriundi sunt, ib. v.* 37. *qui quia satis potentes erant (ut vel inde constat, quòd Eglon ipsorum Rex per annos octodecim Israelitas immani servitute oppressu, Jud.* 3. 12. & 14. *& cùm per Davidem essent subjugati,* 2. *Sam,* 8, 2. *& post regni divisionem aliquandiu etiam regum Israelis tributarij,* 2. *Reg.* 1, 1, & 3, 4, 5. *tandem mor-*

VI. Prædictio contra Moabitas.

Unde oriundi, & quinam fuerint.

tuo Achabo, defecerunt, & ab eò tempore maxima bella gesserunt, 2. Chron. 20, 1.) cristas tollebant superbi, unde fastus & arrogantia eorum insignis sæpè reprehenditur, Jer. 48, 7. 11. 14. 18. Sophon. 2, 8. 10. & malum superv rturum prædicitur ab Esa. 16. Jer. 48. Ezech. 25. Præter hunc fastum objicitur eis hoc loco tyrannis barbara & crudelissima, quam quidem non in Ecclesiam, ut præcedentes populi, sed tamen homines, eosq; cognatos suos exercuerant, nempè Edomæos, ortos ab Esavo, nepote Abrahami, qui Moabitarum parentem primum Lothum magni affecerat beneficiis, Genes. 12. 13. 14. 18. capp. Est igitur hoc contra omnem humanitatem, quod ardentes odio ac vindictæ cupiditate è sepulchro effoderint ossa regis Edomæorum, & combusta redegerint in cineres, non contenti bellum cùm vivente gerere, etiam in demortui cadaver sævierint.

Illud enim, quod sequitur in textu: Propterea quod combusserint ossa regis Edomæorum in calcem. *In quibus verbis singulis magnum inest pondus. Nam combusserunt non corpus, nervos atq; cutem tantùm, sed etiam ossa, membra omnium durissima, non privati hominis, sed regis ipsius, atq; adeò ut nihil præter favillam & cineres tenuissimos relinquerent, h. e. scripturæ stylo, in calcem, Esa. 33. 12. Hebræorum nonnulli considerantes ipsum dicendi genus, quod adhibet Propheta, cum dicit* לַשִּׂיד *id est in calcem, vel loco calcis, existimant, quod combustorum ossium cinere calcis vice ad incrustandos parietes usi sint, contemptus & ludibrij causa, sicut occurrit hæc phrasis, Gen. 11, 3. Psal. 69, 23. Gen. 16, 3. & 45, 8. 2. Sam. 7, 14. Esa. 22, 21. Buxt. thes.*

In calcē, quid hoc loco. 1. 2.

thes. Gram. p. 420. *&* 420. *&* 454. *Sed quoniam eadem præpositio sæpe rem ipsam notat, Gen.* 2, 7. *Ezech.* 37, 27. 2. *Corinth.* 6. *vers.* 16. *Ruth.* 4, 13. *prior sententia simplicior esse videtur, cum rectissimè illi combustorum ossium cineres comparentur calci ob exilitatem & albedinem. Neq; etiam facilè in illorum concedendum putamus sententiam, qui hoc loco respicere Prophetam putant ad historiam, quæ* 2. *Regum.* 3, 27, *descripta est. Ut enim taceam, quod adfixum possit reciprocè rectè accipi, quod Rex Moabitarum obtulerit in holocaustum suum ipsius filium, non dicitur ibi, quod regis ossa, sed regis filium combusserit, nisi velimus dicere, eum dici regem, qui erat regnaturus. Tremellium & Junium, quorum est illa sententia, ibidem refutat Piscator quem adi sis. Idem tamen sentiunt R. D. Kimchi, Clarius & Arias. Vide de his prolixè differentem à Lapide, qui rectè concludit, etsi scriptura non narret, fuisse tamen tempore Amos rem notam.* Multò minùs *eorum admittimus sententiam, qui citra necessitatem allegoricè hæc ita exponunt, ossa, h. e. fortitudinem omnem ac robur Edomæorum esse combusta, h. e. fracta à Moabitis, coacta enim est explicatio: sicut & illa Marianæ, alludi ad historiam, quæ extat* 2. *Reg.* 13, 7, *ex Hieron. quod Mariana ipse agnoscit, quem vide.*

3. Non respicit hic Propheta ad 2. Reg. 3, 27. 3

Vers. 2. *Sed de obstinata malitiâ & crudelitate barbara Moabitarum hactenus, cui pœna hæc subjicitur, fore, ut propterea ipsis non tantùm eripiantur urbes & opes, sed etiam vita, adeò, ut totale gentis & status eorum sit secuturum excidium; quia sic ait Jehova:* Immittam ignem in Moabum, *Moabitarum metro-*

polin, per Nebucadnezarem commune gentium flagellum teste Josepho lib 10. *antiquit. c.* 11. qui consumat palatia Kerijoth, *insignis itidem Moabitarum urbis, Jer.* 48, 24. 41. *quæ in plurali vocatur urbes vel per excellentiam, vel quod revera plures urbes continuerit, ut Praga, Cracovia, Parisij Ipsi verò incolæ ac cives Moab* morientur in strepitu *tumultuoso bellico, quem propriè designat vox hebræa* שָׁאוֹן, *Hos.* 10, 14. *id quod confirmat sequens* ἐξήγησις, *quæ indicat, futurum, ut capiatur & internecione deleatur: siquidem bellum eos opprimet cum magna celeritate ac terror, quæ per orationem ἀσύνδετον in textu indicantur, quia occupabitur unaquæq; urbs, non deditione, qua hostilis furor aliqua ex parte sedatur, sed vi, quum irrumpunt* cum clangore, cum sono buccinæ.

שָׁאוֹן

Vers. 3. Exscindamq; judicem è medio ejus, in *medio suæ præfecturæ, cui regendæ præest, ut ita omnis spes auxilij, atq; emergendi ex his malis præscindatur, & porrò* omnes principes ejus, *civitatis puta, quod pronomen in textu hebræo fœmininum indicat,* interficiam cum eo, *scilicet rege Moab, relativo sine antecedenti posito: vel cum eo, scilicet judice, de quo dixit, sitq; judex pro rege. Marian.*

Hactenus prædictiones ad gentes incredulas directæ: quumq; Judæi *jam possent veniss in è sibi persuadere, has nihil quicquam ad se pertinere, quippe apud quos vigeret Dei cultus, ad hos etiam se convertit Amos, à regno Judæ incipiens, unde ipse erat oriundus, ne Israelitæ reprehensi objicerent, suis ipsum blandiri popularibus, acerrimè autem invehi in alienigenas, & quia in*

VII. Contra Judæos.

Juda

Juda Deus peculiariter notus. Ps. 76, 2. & Judais credita sint Dei oracula, Rom. 2, 17. & 3, 2. & 9, 4. hæc tria potissimum his objicit: Legis divinæ contemptum, ceremoniarum à Deo præscriptarum neglectum, & falsæ doctrinæ ab eodem proscriptæ usum.

Vers. 4 Sic *itaq; jam* ait Jehova: Propter tres defectiones Jehudæ, *regni duarum tribuum, Judæ & Benjamin, 1. Reg. 12, 16. 17. 23. 2. Chron. 11, 1. 3.* etiam propter quatuor non avertam illud, *cum illius incolæ resipiscere, toties moniti, renuant,* eô quod spernant legem Jehovæ *scriptam, & multis miraculis confirmatam, Exod. 19. & 20. cum reliquæ gentes pleræq; propterea sint pœnâ dignæ, quod in legem naturæ peccaverint: Judæi verò* statuta Dei sui non observent, *imò graviter violent, id quod hoc loquendi genus, apud Hebræos usitatum, indicat, Prov. 10, 2. & 18, 5. Johan. 5, 24. & 1, 20. & 3, 15. 16. 17. 36 Rom 4, 19. Prov. 23, 13. Psal. 83, 2.* & contrà seducant ipsos mendacia ipsorum, *ἐθελοθρησκεῖαι & cultus Dei falsus: vulgatus interpres, idola sensu benè expresso, Rom. 1, 25. quia non sunt ex verbo Dei, quod est veritas, & quicquid huic contrarium, mendacium sit omninò necesse est, Psal. 119, 163. & quidem eadem mendacia toties à me reprehensa,* quæ secuti sunt majores ipsorum.

Hebræi per negationem contrarij vehementissimè asseverant.

Vers 5. *Non parcam itaq; posthac,* sed immittam ignem in Jehudam, qui consumat palatia Hierosolymorum: *quemadmodum eventus tandem hoc vaticinium comprobavit, 2. Reg. 24, & 25. 2. Chron. 36, 17. & seqq. Jer. 39. & 52, 13.*

VIII. Contra Israëlitas.

Vers. 6. *Atq; hoc modo hactenus præparatis ad attentio-*

tentionem Israëlitarum animis, jam demum ad praecipuum hujus libri argumentum descendit Propheta, videlicet impietatem eorum adversus Deum, & horrenda flagitia adversus charitatem, proximo debitam, designata. Et cum hactenus judicium Dei, quasi in diversis speculis demonstrasset obscurè, nunc tandem id ostendit apertè. Marian. Locutus est prius contra alias gentes pauca, & postremo contra tribum Juda, ut viam sibi muniret ad Israëlitas, in quos propriè vaticinium invehitur. Sic enim colligere facilè ipsis erat: Si Deus neq; gentibus exteris, quibus statuta sua non ita gloriosè manifestavit, neq; regno Judae, in quo adhuc ejus viget cultus, parcit, quid nobis futurum est Israëlitis, apud quos, cum sciamus voluntatem Dei, omnia sunt corruptissima. Hac de causa ad demonstrandam obstinatam eorum malitiam, non unum, sed aliquot gravissima & notissima scelera ipsis objiciuntur: Inprimis crudelitas, avaritia, libido, ut vel hinc solùm constare queat, per tres & quatuor defectiones intelligi & numero plurimas & reatu gravissimas. Ut enim omittam, quod à primò Jeroboam hujus regni authore usq; ad postremum Hoseam inter Reges Israëlitarum nemo fuit, qui non propagaverit ab illo institutam Idololatriam & vitulorum cultum, atq; ita porrò facilè liceat conjecturam facere, quod qualis rex, talis etiam fuerit grex, satis disertè hoc in seqq. Propheta declarat, quando plurima eorum recenset flagitia. Sic *igitur* ait *per eum* Jehova: Propter tres defectiones Israëlis, & propter quatuor non avertam illud, *nempè quod est infra v. 10. seqq. & hoc omninò justissimum erit supplicium, quod promeruerunt avaritiâ*

Qui planè sunt *ἀναπολόγητοι.*

tiâ inexplebili, inhumanitate crudelissima, libidine impurissima, & idololatria impudentissima, siquidem coram Diis de rapinis se iactitant. Exsequar idcirco, quod decrevi iudicium, cùm *ipsorum iudices δωροφάγοι muneribus corrupti, tùm alij his eos corrumpentes* vendunt pecunia *(Hebraicè* בַּכֶּסֶף *id est argento, sed per speciem genus intelligi notius est, quàm ut probatione egeat)* vendunt pecuniâ justum *unumquemque* justum, *illi justam ejus pervertendo ob accepta munera causam Esa.* 1, 23. *hi verò dolis ac fraudibus aliisque technis circumveniendo, id quod scriptura sæpè vocat vendere. Sunt qui per iustum intelligunt Christum: sed hoc refutat à Lapide, ita tamen, ut quod negavit, mox asserat. Vide ejus Comm. h. l. incertum. Vide etiam Lyram in h. l. Galatinum l.* 4 *de arcan. cathol. verit. cap.* 24. *l.* 8 *cap.* 13. *& quæ habet etiam in h. l. Ribera. Si quis tamen idem hoc loco significare dicat, quod tradere in potestatem (quâ de phrasi, vide Joël.* 3, 6. 7. 8,) *nihil omnio errabit, siquidem iudices pecuniâ corrupti sententiam ex voto corrumpentis dum ferunt, iustum ipsi hac ratione tradunt, iustum, inquam, qui iustam fovet in hac lite causam, & iure prævalere poterat. Quomodo vocabulum* צַדִּיק *sæpissimè in forensi hac significatione apud sacros scriptores occurrit; Infra cap.* 5, 12. *& cum semel transiverunt iustitiæ fines, non tantùm spe magni lucri, sed etiam exigui lucelli cupiditate idem facere non erubescunt, quippè qui vendunt* egentem pro pari calceorum, *hoc est, re vilissimâ, Sic Joël.* 3. 5. *per vinum quod bibunt. Ezech.* 13, 19. *per pugillum hordei & frustum panis, ex specie genus intelligitur, exiguum videlicet munusculum. Confer infra cap.* 8, 6. *& nostra illa hic expen-*

expende proverbia, einen im Sack verkauffen/ Ich weiß nicht ob ich verrathen oder verkaufft bin/ Item/ Ich gebe nicht ein paar alter Schuch darumb.

Anhelant in pulverem terræ in capite tenuium.

Verſ. 7. *Ad hanc avaritiam injuſtam accedit ſummæ violentia: Nempè illi vendunt juſtum & egenum*, qui anhelant in pulverem terræ, *qui eſt & hæret* in capite tenuium, *à ſe in terram proſtratorum, nec ſat habent eos dejicere, ſed inſuper ad caput & vitam adſpirant, ut*
1. *eam quoq; auferant. Hæc ſimpliciſſima, ſcopo & verbis Prophetæ maximè congrua videtur hujus loci ſententia, de qua diſcrepant interpretes. Verba in textu Hebraico*
2. *ſunt hæc:* הַשֹּׁאֲפִים עַל־עֲפַר אֶרֶץ בְּרֹאשׁ דַּלִּים. *In quibus alij obſcuriorem* ἐμπλοκὴν, *ut putant, hoc modo tranſponendam cenſent, qui anhelant in caput tenuium (dejecturi id) in pulverem terræ. Sed ſine causâ trajiciunt, quæ ſatis aptè, eô quo poſita ſunt ordine, cohærent, & malè ſuam textui inferunt gloſſam, quam vel ſola*
3. *conſtructio refutat. Alij hoc modo interpretantur, qui anhelant ad pulverem terræ in capite tenuium, & explicant, qui appetunt, ut tenues rei ſiſtantur, accuſati à divitibus, à quibus ipſi judices accipiant munera ad pervertendum judicium, id quod & ſequenti* ἐπεξηγήσει *indicari ſtatuunt; viam manſuetorum declinant, & ritu priſco ex Joſepho Gorionide cap.* 44. *illuſtrari volunt, quo rei caput pulvere opplebant. Unde porrò alij, qui anhe-*
4. *lant, id eſt, properant, Eccl.*1.5 *eò ubi pulvis eſt in ca-*
5. *pite tenuium, ſeu ubi tenues rei ſiſtuntur in judicio. Alij deinq; de conculcatione accipiunt, qua fit, ut conculcantium pedum pulvis capiti conculcandorum adſpergatur, ac ſi hoc loco dicatur, anhelant & concupiſcunt tenuium*

hominum

hominum capita pedibus proculcare suis : quomodo nonnulla græca exemplaria legunt, κατεπατοῦντες & Chaldæus דשׁיטין, & lat. vulgatus, qui conterunt, quasi esset שָׁאפִים. Id autem ex scripturæ locis aliis, ubi hoc verbum extat, colligere licet, quod emphasis ejus sit, cum anhelitu magnoq; studio & conatu aliquem persequi, ut Saul insistebat fugienti Davidi, Psal. 56, 1. 2. 3. & 57, 4. infra cap. 8, 4. Marian. שָׁאַף *multa significat, inter alia conculcare, etsi dictionaria silent. Dicit, sed non probat, & unde novit ipse hoc? Notatur igitur conatus improborum indefessus, in opprimendis etiam coram judicio tenuibus,* dum viam mansvetorum, *hoc est, scripturæ stylo causam, negocium, judicium, Exod. 18, 20. Job. 71. 9.* pervertunt, *Job. 24, 4. Hoc melius utiq; quàm quod Lyra habet, cogunt pauperem sibi cedere & declinare de via, quum factus est illis obvius. Atque ut nihil desit summæ nequitiæ, vide eorum impuritatem abominandam, quam etiam ex luce naturæ horrent Ethnici, 1. Cor. 5, 1.* Nam vir & pater ipsius accedunt ad unam eandemq; puellam, *id quod in hebræo textu notat* ה *emphaticum* אֶל־הַנַּעֲרָה*: Græci verò expresse indicarunt, cum verterunt,* πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην*: atq; ita per* εὐφημισμὸν *scripturæ usitatum (quem etiam nostra lingua servat,* zur Jungfrawen gehen*) notatur coitus vel compressus, confer Prov. 6, 30. Psal. 51, 1. & hoc loco illicitus, imò incestuosus, ut qui de nomine Dei se vocari gloriantur, & tamen tàm nefando se polluunt flagitio,* prophanent nomen sanctitatis meæ: *cum, sicut ego sanctus sum, velim ut mei sancti sint,*

שָׁאַף.

Levit. 11, 44. & 19, 2. *Esa,* 52. 5. *nec suâ impurâ vitâ iis, qui extra Ecclesiam degunt, blasphemandi causam praebeant,* 2. *Sam.* 12, 14. *Nam quemadmodum sanctificatur nomen, cum propter vitam civium Ecclesiae sanctam nomen meum sanctum honorant etiam ij, qui non sunt conversi: ita è contrario idipsum prophanatur vitâ flagitiosâ. Exponebant enim illi incestuosi Israëlitae nomen Dei ludibrio & infamiae gentibus dicentibus: Ecce quàm spurci & obscaeni sunt Israëlitae: quàm spurca igitur eorum fides & religio sit oportet, & qualis eorum Deus, qui ista tolerat, & non punit? à Lapid. Unde etiam liquet, quid hoc loco particula* לְמַעַן *aliàs causalis, significet, videlicet eventum, non causam, sicut alias mos scripturae est, ut quae eventus sunt, ponat pro causa, quae est Chrysostomi homilia* 66. & 80. *in Job. observatio; Cui illa Damasceni l.* 4. *de Orthod f. cap.* 20. *consentit: In sacris nonnulla αἰτιολογικῶς, id est, causaliter efferuntur, quae oportet intelligi ἐκβατικῶς, hoc est, secundum eventum, ut Psal.* 51, *vers. Tibi soli peccavi & malum coram te feci,* לְמַעַן תִּצְדַּק, *ut justificeris. Neq; enim peccatum sive malitia causa est justitiae & veritatis divinae; sed ἔκβασιν significat Psaltes, ut notat Cassiodorus. Hinc etiam particulae illae similes in N T. rectè explicari possunt ὅπως, ἵνα, ὅτι, γὰρ Matth.* 2, 23. & c. 13, 35. & c. 25. 35. c. 27. 35. *Marc.* 14, 49. *Luc.* 7, 47. *Joh.* 9, 36. (*notat eventum in malis hominibus*) & c. 12, 39 (*Theophyl. non est αἰτιολογίας sed ἐκβάσεως*) & c. 13, 18 & c. 17. 12 c. 18, 9. 32. c. 19. 24. 36. *Rom,* 11, 30. *Sic hoc loco non ideò scortabantur Israëlitae ut Dei nomen prophanarent, sed ut suam indomitam explerent libidinem, Unde tamen*

Scriptura quae sunt intelligenda ἐκβατικῶς, αἰτιολογικῶς ponit.

men eveniebat per accidens, ut prophanaretur nomen Dei Sanctum. Sic idem Judæi non ideò occidebant, ut veniret super eos omnes sanguis justus, & tamen hoc ita eveniebat, teste Christo, Matth. 23, 35. De phrasi ipsâ (prophanare nomen Dei sanctum) consule loca, Lev. 18, 21. & 9, 22. & 20, 3. & 21, 6. & 22. 2, 32. *Jer.* 34, 16. *Ezech.* 20, 39. & 36, 20. *Mal,* 2, 11. 21.

Vers. 8. *Sed cum hæc omnia designaverunt flagitia, id restabat scilicet, ut improbè de his malis, quasi rebus benè gestis gloriarentur, vel hypocrisi pessima Deo illuderent: Quum enim cultum divinum præstant, suppellex sunt, pauperum pignora; sumptus, opes injustè per rapinam partæ. Nam* super vestes in pignus acceptas, *præterq; ac contra DEI expressam legem detentas, Deut.* 24, 12. 13. *Exod.* 22, 26. 27. inclinant se *ut accumbant (Israëlitæ enim convivaturi non sedebant ad mensam, sed juxta eam discumbebant, id est, jacebant in lectulis. vide J. Lipsium lib. 3. antiq. lect. Taxat igitur, quod tum vestes pauperum sibi substernant, nec reddiderint. Hieronymus ita censet: Quum divites idololatræ erant secum abducturi pauperes creditores pios ad Deos alienos, & hi nollent, pignoris loco illis vestes eripiebant, easq; secum auferebant)* juxta omne altare. *siquidem moris erat, in ipso templo solennia sacrificiorum agitare convivia, Deut.* 14. 23. 16, 1. *Sam.* 1, 3 4. & c & vinum damnatorum, *hoc est, emptum pecuniâ eorum, quos injustè damnaverunt,* bibunt: *unde LXX. satis benè, οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν, Chaldæus verò* חֲמַר אוֹנְסִין *id est, vinum violentiæ vel rapinæ, reddidit, Job,* 24, 6. *Est tamen qui id ex Prov,* 31. 6. *pro vino fortissimo accipit. Hoc autem*

Quid intelligendum per vinum damnatorum.

autem vinum non bibunt in angulo aut taberna, sed in domo Dei sui, *quem hoc pacto suæ prædæ socium faciunt acreum, in quo divini numinis contemptus satis apparet, Psal.* 94, 5. 6. 7.

Dei beneficia populo Israëlitico præstita, cùm corporalia, I. hostiũ deletio.

Vers. 9. *Hæc scelera & multa alia contra me DEUM suum nefariè perpetrant, omnium beneficiorum, quibus cùm eos, tùm eorum majores affeci, prorsus immemores. Inter quæ, quod ex corporalibus apud Prophetam nostrum primum est, valdè exaggerat, nempè hostium potentissimorum deletionem:* qvamvis, *inquit,* Ego, *non illi suis viribus, Exod.* 14, 14. *Psal.* 44, 3. 4. *exterminaverim* & perdiderim, *Deut.* 11, 23. & 19, 1. *cùm reliquos terræ Cananææ incolas, Gen.* 25, 19. 20. 21. *tùm vel maximè populum fortissimum* Amorrhæum à facie ipsorum *antequam ipsi advenirent, Ex.* 23, 27. 28. 29 30. *Num.* 13, 33. *c.* 21, 24, 25. *Deut.* 1, 4. & 2, 30. & 3, 1. *Jos.* 10, 12. *Jud.* 11, 23. 24. *Psal.* 135, 11, 12. Amplificatur *hoc tribus potissimum circumstantiis, quarum* prima *est ab Amorrhæorum persona, in qua staturæ proceritas & roboris firmitas: quippe* quorum altitudo *erat* similis altitudini cedrorum, *quæ illis in locis erant procerissimæ, &, ut canit Virgil. l.* 9. *Aen. v.* 774. *Abietibus juvenes patriis & montibus æquos,* & robusti erant, ut robora *seu quercus validissimæ: Unde exploratores à Mose emissi in terram Canaan, cum essent reversi, ita loquuntur: Totus ille populus, quem vidimus, sunt homines proceri, præterea ibi vidimus gigantes, qui superant reliquos gigantes, adeò, ut videremur in oculis nostris esse ut cicadæ, & sic essemus in oculis eorum, Num.* 13. 32. 33. & *Ogi regis Amorrhæorum in Baschane sponda ferrea novem*

(Qvid sit, à facie ipsorum) Amplificatur tribus circumstantiis. 1.

(gigãtes)

vem cubitorum in longitudinem, & quatuor cubitorum in latitudinem, cubito virili ac justæ mensuræ fuisse scribitur, Deut. 3, 11. Secunda *circumstantia est de ruinâ & excidio eorundem totali, quod exponitur per elegantem similitudinem desumptam ab arbore, ut ita in cœpta persistat metaphora:* perdidi fructũ ejus supernè, radices ejus infernè, *minores & majores filios cum patribus, liberos cum parentibus. Vide de hac loquendi ratione, Esa.* 37, 31 *Ezech.* 17, 6. 7. 2. *Reg.* 19, 30. *Job* 14. 7. 8, *&c.* 18, 16. *Psal.* 80. 16. *& de reipsa Deut.* 7, 2. *Jos.* 6. 71, *Sapient.* 12, 11. *contrà Mal.* 4, 1. 2 (Fructus supernè. radices infernè)

Vers. 10. TERTIA *circumstantia est ab Israelitarum persona, ne putent, tàm potentes hostes suis domitos esse viribus, siquidem ipsi erant servi in Ægypto, quos tamen inde extento brachio eductos terræ sanctæ dominos effecit Dominus, quod est secundum inter corporalia beneficia hîc enumerata. Quam verò, ait Jehova, retulistis, vel etiamnum refertis mihi gratiam, ô Israëlitæ omnium ingratissimi:* Cùm ego eduxerim vos è terrâ Ægypti *& domo servorum, Exod.* 20, 2. *Tertium autem hoc excipit beneficium, nempè protectio & conservatio mirabilis in deserto, Ego sum, qui, eductos vos, statim in terram promissam fueram traducturus, sed majorum vestrorum factum est inobedientiâ, Num.* 14, 22. 19, 33. 34 ut vos deducerem per desertum integros quadraginta annos, *ubi* ἐτροποφόρησε, *Actor,* 13, 18. *& tanto tempore tantam turbam in loco tam sterili, tam liberaliter sustentavi. Et quartò tandem, velut cumulum ingentem reliquis hisce corporalibus beneficiis adjeci, hoc quod vos introduxerim in terram promissam patribus,* *non* 3. II. Ex Ægypto eductio. III. In terram sanctam deductio. IV. Ejusdem perpetua possessio.

non ut eam per tempus aliquod incoleretis, veluti Ægyptum seu ad possidendum hæreditario jure terram illius Amorrhæi, *hoc est, per Synecdoch. in hac phrasi usitatissimam, totam terram Cananæam Vide Drus. l.* 14. *Observ.* c. 12. *Hunc autem hoc loco potissimum nominat, sic ut & Gen.* 15, 16 *quia erat reliquis potentior, ut tanto magis beneficij elucescat magnitudo.*

tùm spiritualia.

Vers. 11. *Sed quid necesse est, hæc externa recensere beneficia, cum spiritualia restent longè majora, eaq, hujusmodi, quibus meritò ad pœnitentiam & gratæ mentis declarationem excitari vos æquum fuerat:* quia excitavi vobis וָאָקִים *feci ut surgerent, id quod ad excellentiam referri debet. Confer Deut.* 34, 10. *Matth.* 11. 11. è filiis vestris *quosdam* Prophetas, *tùm cum adhuc erant in ætate tenerâ, veluti Samuelem,* 1. *Sam.* 3, 8. 20. *& Jeremiam, Jer.* 1, 5, 6. *qui docerent vos, ut vel inde agnosceretis, quàm sitirem salutem vestram, qui etiam puerulos vestros redderem idoneos, ut evaderent in Prophetas* לִנְבִיאִים *ut essent Prophetæ, Deut.* 18, 15. *Buxt. Th. p.* 454. 455. *supra v,* 1. *hujus cap.* & ex juvenibus vestris electis, qui essent Nasiræi. *Hebraicè* נְזִרִים, *qui ex pio voto à certis rebus, maximè vero vino abstinebant, Num.* 6, 13. *cui dedita esse solet illa ætas juvenilis (Græcè ἀφωρισμένοι in N. T. nomine manente, re mutatâ Roman.* 1, 1.*) qui suo exemplo sanctè vivendo vobis præeunt, quales erant Recabai, Jer* 35, 2. *Simson Jud.* 13. 5. 7. *Samuel.* 1. *Sam.* 1. 11, *Hoc modo suis beneficiis expositis, interrogationem hanc Rhetoricam (Joël.* 1, 16. *Ps.* 2, 1.*) Deus subjicit:* An verò non ita? ô filij Israël dictum Jehovæ, *ut istorum hominum, quantumvis obstina-*

Prophetarum & Nasiræorum excitatio.

נְזִרִים

stinatorum, & *in Dei beneficiis agnoscendis brutorum*, *conscientia acerrimè hoc modo pungeretur*, *confessioq; vel ab invitis extorqueretur ad Dei ostendendam justitiam*.

Vers. 12. *Ut autem ulterius indignissimum horum beneficiorum contemptum ostendat*, *postremum resumit* ὕστερον πρότερον *declarat ipsorum rebellionem pessimam.* At *contrà inquit*, *vos illis* ipsis Nasiræis, *quos ex vestris filiis excitaveram*, *vestro bono*, bibendum dedistis vinum *LXX.* ἐποτίζετε τοὺς ἡγιασμένους, *adegistis eos*, *ut contra votum suum*, *meumq; de eo latum edictum*, *vinum biberent*, *absq; quo esset*, *vini usus moderatus cuivis licitus est*; & prophetis *ad docendum missis* inter dixistis, & *publicâ autoritate* & *mandato* (*quæ est verbi* צִוָּה *emphasis*, & *quando cum particula* עַל *construitur*, *significat vetuit vel publicè interdixit Gen.* 2, 16 & 28, 6. & 44, 1. & *c. Nahum.* 1, 14. *confer etiam Gen.* 3, 12, *Deut.* 2, 37. *ubi etiam significat interdixit*) dicendo: Ne prophetetis, *ne ita apertè nos nostraq; scelera objurgetis*, *inf. cap.* 7, 13. *quomodo spiritum meum in ipsis loquentem exstinctum ivistis*, 1. *Thess.* 19. *qui disceptavit vobiscum*, *Genes.* 6, 3. & *vos de peccato coarguit. Job.* 16, 8

צִוָּה cum עַל constructum

Vers. 13. *Vos verò spiritum illum gratiæ exacerbastis*, *Ebr.* 10, 29. *Pœnam igitur meruistis gravissimamquam jam porrò denuncio*, *quæ erit tanta*, *ut nihil vel humana prudentia provisum*, *vel opibus quæsitum*, *vel naturâ datum vos liberare possit*, & *id solum superest ut pœnitentia seria huic antevertatis malo.* *Nam* ecce, Ego premens אָנֹכִי מֵעִיק *paulò post pressurus sum*

(*quo*

(*quomodo Benoni pro paulò post futuro sæpè usurpari solet*) subter *vel inter* vos, *vel locum vestrum* (*quomodo vox* תחת *usurpatur, Exod.* 10. 23. *&* 16, 29. 1. *Sam.* 14. 9. *Zach.* 12, 6. *Habac.* 3, 16.) quemadmodum premit plaustrum (*puta terram, vel frumentum, quod olim plaustris onustis premi solebat, ut excuterentur grana. Esa.* 28, 27. 28, *vel animal, quod rotis plaustri subjicitur, ex qua pressura illud debilitatur vel ineptum redditur ad cursum. Vide scholia Piscatoris. Sic vertit Chaldæus: Ecce ego adduco super vos angustiam, & angustiis afficiet vos in loco vestro, sicut angustiis premitur plaustrum onustum manipulis. Sa & Mariana, obsidione vos preman*) quod est manipulis plenum firi, *pleonasmo hebraico, non sine causa adjecto, ut ita naturæ convenienter ostendatur, quod illud intelligat plaustrum adeò onustum, ut ne quidem unum amplius capiat manipulum, Buxtorff. in Thes. p.* 379, 419. *& quia etiam tale plaustrum tardius progreditur, citiusq; ab insequente comprehenditur, notatur, mox pœnam his malis irrogatum iri. Et hæc explicatio scopo Prophetæ, cohærentiæ textus, & proprietati verborum optimè congruit: quam etiam Lutherus sequitur.* **Ich wils unter euch kirren machen/ wie ein Wage voll Garben kirret.** *illen. est expositæ iniquitati & per comparationem beneficiorum Dei illustratæ (sicut in præced. denunciatione factum vidimus) nunc pœnam, non ejus causam subjicere. Quod & porrò ex versus sequentis initiò liquet, ubi conjunctio ostendit, ea quæ sequuntur, cum hisce tanquam similia copulari. Et deniq; ut taceam, quod verbum* עיק *bis in conjugatione Hiphil plerumq; dupliciter activâ, repetatur, Nomina inde derivata*

תחת i.e. locus.

Vetus mos triturandi.

עיק

rivata idem evincunt, Psal.55, 4. & 66, 11. & Hebraeorum peritissimi idem statuunt, ופירושי צרה *id est, significat afflictionem, quam alius infert, qui angustat. Alii tum vulgato latino interprete, R. Abrahamo, Tigurino, Vatablo, Hieronymo, Syro paraphraste, D. Winckelm. vertunt: ego premor subter vos, quemadmodum premitur, seu stridet plaustrum: Ego onere vestrorum peccatorum, quae ferre amplius nequeo, plaustrum autem manipulis frumenti: & quemadmodum hoc stridorem edit valdè acutum, ita non tacebo amplius, sed signis ostendam tolerari non amplius à me posse hoc iniquitatis onus. Ut ita sint verba DEI conquerentis, quae nos, &, nisi fallor, rectiùs, comminantis esse censemus, cum Ribera & à Lapide. Cui rei porrò firmandae, etiam hunc Esaiae locum adducimus cap. 25, 10. Triturabitur Moab in loco suo, ut trituratur palea ad stercorationem. Itemq; alterum quod ad subjectam materiam, parallelum, Esa. 28, 27. 28. Unde patet, crucem & calamitatem à Deo immissam, triturationi saepè comparari. Chaldaeus: obsidione premam, cingam vos, & obsidio talis erit, ut nullus evadat, uti sequitur.*

Vers. 14. Itaq; *cum Deus ita premet Israëlitas in loco suo, ut plaustrum sibi subjectum frumentum, tum* peribit effugium *à levi seu veloce*, & robustus *corpore* non fortificabit vires suas, ac animi virtute potens non liberabit animam suam, *id est seipsum.*

Vers. 15. Et tenens arcum, *τοξότης arcitenens* non consistet, levisq; pedibus non liberabit se, neq; vehens equo liberabit se, *quorum verborum sensus & summa est haec; Miraculum fore, si quis effugiat, tan-* Omnia effugia saepè pereunt.

I tam

tam futuram esse cladem: Ideoq; vanis exceptionibus, quæ fingunt sibi homines, quomodo velint hanc calamitatem effugere, occurrit, ostendens, quod omnia peritura sint effugia:

1. *Naturalia, qualia sunt velocitas pedum & corporis robur.*

2. *Arte & industria comparata, qualia potentia, animi fortitudo, autoritas & pugnandi peritia.*

3. *Opibus parata, ut dromedarij & equi velocissimi, Confer infra. c. 9, 1.*

Vers. 16. *Et cum per hunc insignem μεγιστμὸν rem exposuisset ἄρσιν, θέσιν breviter subjicit, atq; ita hanc concionem concludit:* Sed fortis animo, inter potentissimos nudus fugiet die illo, dictum Jehovæ. *Si quis futurus est, qui putet se malle strenuè in pugna cadere, quàm hosti terga dare, atq; ita corde sit intrepido, tamen nihil proficiet, quoniam ita tractabitur, ut præclarè secum agi putet, si vel omnibus, quæ habet, armis abjectis, vitam saltem conservare possit suam, cum ejus profusione nec sibi, nec aliis prodesse quicquam queat: abjectis inquam, armis aufugiet, quod erat ignominiosissimum. Nudus enim in scripturâ sæpè dicitur, cui desunt ea indumenta, quæ ad rem præsentem sunt necessaria, quomodo nudus lugere dicitur, qui non habet vestes lugubres seu saccos, Esa.* 20, 2. *Mich,* 1, 8. *& Saul nudus prophetasse legitur,* 1. *Sam.* 19, 14 *puta, sine pallio prophetico: Vel nudus etiam dici potest in comparatione, qui non ita benè vestitus est, quomodo nudi etiam vestibus spoliari dicuntur, Job.* 22, 6. *vide Matth.* 25, 36. *Jac,* 2, 15. 1. *Cor.*

Nudus peculiari ratione aliquando in scriptura dicitur.

15. 1. *Cor.* 4, 11. *Janus Druſ. lib.* 14. *obſervat, c.* 14. *Vide Exerc. bibl. edit,* 3. *p.* 636. 637.

LOCI COMMUNES.

Ex verſu 1.)

I. DEUS eſt Deus omnium, non tantùm Judæorum, ſed etiam gentium, Rom. 3. 29. *& omnibus illatas ulciſcitur injurias, Pſal.* 5, 7. *&* 10, 14. 15. *Rom.* 10, 12. *quia eſt omnium creator, proviſor, vindex. Oſiander. Deus tam juſtus & æquus eſt, ut etiam impiorum hominum injurias, quæ illis injuſtè inferuntur, ulciſci velit* Man kan ſich auch an einem böſen Menſchen verſündigen wañ man jhm zuviel thut. *Quare in omnibus noſtris actionibus à norma pietatis, juſtitiæ & æquitatis non deflectamus, reſpicientes* οὐ τὸν τρόπον ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον. — Deus eſt Deus omnium

II. Deus etiam pulverum minutiſſimorum poſt hanc vitam curam gerit, & ipſi diſplicet crudelitas, quæ excercetur in mortuos, Pſal, 79, 2. *quia inde unicuiq; in extremo die ſuum componet corpus, ut ſit idem numero. Confer & expende in textu originali emphaſes dictorum, Job.* 19, 26. 1. *Cor.* 15. 53. 54. *Digna ſunt verba Cor. à Lap. quæ huc referantur, & pontificiis quibusdam in Anglia D. Fagium, Bucerum, & alibi aliosq; eff. ſſis comburentibus opponantur. Ita ſcribit, Inhumanum eſt & probroſum valdè exhumare mortuos, eorum inſultare cineribus: tum quia honor ſepulchri ſunt ultima juſta naturæ, tum quia hoc eſt cum mortuis dimicare. Scimus, quid nonnulli Wittebergam ingreſſi victores rogaverint, videlicet ut liceret Lutheri ipſa oſſa effodere, & quomodo id optimi imperatoris pietas prohibuerit. Vide alia exempla apud eundem à Lapide, & adde, quod nefas* — Pulverum noſtrorum curam gerit

sit, famam mortuorum lacerare. Utrumq; locum communem etiam tractat D. Winckelmannus.

Ex vers. 2.)

Bellorum incommoda.

I. In bellis omnia tumultuosè geri. vide quæ dicta in Joel. 3, 10.

II. Osiand. Unum ex suppliciis peccatorum, non mori in lecto, sed in acie.

Ex vers. 3.)

Supra c. 1, 15 & propter scelus terræ multi sunt principes ejus, Proverb. 28, 2, Exemplum est 2. Reg. 15. & 24. capp. Die grossen Händse müssen auch herhalten.

Ex vers. 4.)

Qui novit voluntatem Dei, multis vapulat.

I. Si Deus suis non parcit, quantò minus alijs, Joel. 2, 11.

II. Servus, qui cum novit voluntatem Domini sui, non fecit eam, vapulabit multis, Luc. 12, 47. & cui multum datum est, ab eo multum reposcetur, ibid. v. 48. Id quod Christus exemplo urbium, in quibus ipse prædicaverat verbum, & miracula multa ediderat, declarat. Matth. 11, 20 21. 22. 23, 24.

Obedientia præstat sacrificio.

III. Cum Judæi, qui multa quotidiè offerebant sacrificia, accusentur, dicimus, obedientiam Deo magis probari, quàm sacrificium, 1. Sam. 15, 22, Oseæ 6, 6.

IV. Honorantes se honorat Deus, contemptores autem ipsius spernit, 1. Sam. 2, 30. & 15, 23. 26.

Mendacium veritatis spretæ merces.

V. Quando veritati obedire nolunt homines, Deus permittit, ut implicentur erroribus, ac mendaciis, 2. Thess. 1, 10. 11. 12. & sinit eos ire in viis suis, Actor. 14. 16.

ἐθελοθρησκεία.

VI. Omnes ἐθελοθρησκείαι, quia non sunt ex verbo Dei, sunt mendacia, quibus frustrà Deus colitur,

Esa,

Esa 29, 13. *Proinde quod Deus praecipit, hoc faciamus tantum, non addamus quicquam, nec minuamus ex eo, Deut.* 12. 32. damnantur.

VII. Non semper sequendi sunt majores vel patres, Ezech. 20, 30. *Actor.* 7, 51. *Quod est notandum contra Pontificios, qui in omnibus omninò majores sequendos esse clamitant. Non enim quid majores fecerint, sed quid Deus praeceperit, observandum. Vide exemplum Jer.* 44, 17. *contra Ezech,* 20, 30. *De vindicatione loci Jerem.* 6, 16. *vide D, Winckelmanum pag.* 253.

patres nō semper sequendi.

Ex vers. 5.)

Quod Deus nulla vel loci, vel urbis amplitudine motus poenam cohibeat, Joel. 2, 3. *Etiam filios castigat, ut resipiscant.*

Ex vers. 6.)

I. Δωροφαγίαν *in Judicibus valde improbari, Exod.* 18, 21. & 23, 8. *Deut,* 16, 19. *Sir,* 20, 30.

Δωροφαγία damnatur, & judicij corruptio.

II. Judicium pervertere, maximum scelus est, Esa. 10, 1. *Thren.* 3, 35. 36. *Psal,* 82, 2. 3. *quia Judicium non est hominis, sed Dei,* 2 *Chron.* 19, 6. *Ps.* 82, 1. *Deut,* 1, 17. *Eccl.* 8, 9. *Notent haec judices & Advocati, qui pauperes opprimunt, cum ex juramento eos tueri, imò ex officio causam eorum gratis agere teneantur, Audiant* fulmen Dei *Deut.* 27, 19. *Maledictus qui pervertit judicium advenae, & pupilli, & viduae. Et dicet omnis populus, Amen Rectè* Ambrosius *in serm. Justè Advocato dicitur (injustè igitur à multis animarum curatoribus id cùm publicè in concione, tum privatim in confessione tacetur) Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam cau-*

In advocatos jus pervertentes.

expende proverbia, einen im Sack verkauffen/ Ich weiß nicht ob ich verrathen oder verkaufft bin/ Item/ Ich gebe nicht ein paar alter Schuch darumb.

Anhelant in pulverem terræ in capite tenuium. *Vers. 7. Ad hanc avaritiam injustam accedit summa violentia: Nempè illi vendunt justum & egenum*, qui anhelant in pulverem terræ, *qui est & hæret* in capite tenuium, *à se in terram prostratorum, nec sat habent eos dejicere, sed insuper ad caput & vitam adspirant, ut*
1. *eam quoq; auferant. Hæc simplicissima, scopo & verbis Prophetæ maximè congrua videtur hujus loci sententia, de qua discrepant interpretes. Verba in textu Hebraico*
2. *sunt hæc:* הַשֹּׁאֲפִים עַל־עֲפַר אֶרֶץ בְּרֹאשׁ דַּלִּים. *In quibus alij obscuriorem* ἐμπλοκὴν*, ut putant, hoc modo transponendam censent, qui anhelant in caput tenuium (dejecturi id) in pulverem terræ. Sed sine causâ trajiciunt, quæ satis aptè, eô quo posita sunt ordine, cohærent, & malè suam textui inferunt glossam, quam vel sola*
3. *constructio refutat. Alij hoc modo interpretantur, qui anhelant ad pulverem terræ in capite tenuium, & explicant, qui appetunt, ut tenues rei sistantur, accusati à divitibus, à quibus ipsi judices accipiant munera ad pervertendum judicium, id quod & sequenti* ἐπεξηγήσει *indicari statuunt; viam mansvetorum declinant, & ritu prisco ex Josepho Gorionide cap. 44. illustrari volunt, quo rei caput pulvere opplebant. Unde porrò alij, qui anhe-*
4. *lant, id est, properant, Eccl. 1. 5 eò ubi pulvis est in ca-*
5. *pite tenuium, seu ubi tenues rei sistuntur in judicio. Alij deinq; de conculcatione accipiunt, qua fit, ut conculcantium pedum pulvis capiti conculcandorum adspergatur, ac si h. c l. co dicatur, anhelant & concupiscunt tenuium*

hominum

hominum capita pedibus proculcare suis : quomodo nonnulla græca exemplaria legunt, καταπατοῦντες & Chaldæus רשׁיפין, *& lat. vulgatus, qui conterunt, quasi esset* שׁאפים. *Id autem ex scripturæ locis aliis, ubi hoc verbum extat, colligere licet, quod emphasis ejus sit, cum anhelitu magnoq; studio & conatu aliquem persequi, ut Saul insistebat fugienti Davidi, Psal. 56, 1. 2. 3. & 57, 4. infra cap. 8, 4. Marian.* שׁאף *multa significat, inter alia conculcare, etsi dictionaria silent. Dicit, sed non probat, & unde novit ipse hoc? Notatur igitur conatus improborum indefessus, in opprimendis etiam coram judicio tenuibus,* dum viam mansvetorum, *hoc est, scripturæ stylo causam, negocium, judicium, Exod. 18, 20. Job. 71. 9.* pervertunt, *Job. 24, 4. Hoc melius utiq; quàm quod Lyra habet, cogunt pauperem sibi cedere & declinare de via, quum factus est illis obvius. Atque ut nihil desit summæ nequitiæ, vide eorum impuritatem abominandam, quam etiam ex luce naturæ horrent Ethnici, 1. Cor. 5, 1.* Nam vir & pater ipsius accedunt ad unam eandemq; puellam, *id quod in hebræo textu notat* ה *emphaticum* אל הנערה*: Græci verò expressè indicarunt, cum verterunt, πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην: atq; ita per εὐφημισμὸν scripturæ usitatum (quem etiam nostra lingua servat, zur Jungfrawen gehen) notatur coitus vel compressus, confer Prov. 6, 30. Psal. 51, 1. & hoc loco illicitus, imò incestuosus, ut qui de nomine Dei se vocari gloriantur, & tamen tàm nefando se polluunt flagitio,* prophanent nomen sanctitatis meæ: *cum, sicut ego sanctus sum, velim ut mei sancti sint,*

שׁאף.

Levit. 11, 44. & 19, 2. *Esa.* 52. 5. *nec suâ impurâ vitâ iis, qui extra Ecclesiam degunt, blasphemandi causam praebeant,* 2. *Sam.* 12, 14. *Nam quemadmodum sanctificatur nomen, cum propter vitam civium Ecclesiæ sanctam nomen meum sanctum honorant etiam ij, qui non sunt conversi: ita è contrario idipsum prophanatur vitâ flagitiosâ. Exponebant enim illi incestuosi Israëlitæ nomen Dei ludibrio & infamiæ gentibus dicentibus: Ecce quàm spurci & obscœni sunt Israëlitæ: quàm spurca igitur eorum fides & religio sit oportet, & qualis eorum Deus, qui ista tolerat, & non punit?* à *Lapid. Unde etiam liquet, quid hoc loco particula* לְמַעַן *aliàs causalis, significet, videlicet eventum, non causam, sicut alias mos scripturæ est, ut quæ eventus sunt, ponat pro causa, quæ est Chrysostomi homilia* 66. & 80. *in Job. observatio; Cui illa Damasceni l.* 4. *de Orthod f. cap.* 20. *consentit: In sacris nonnulla* αἰτιολογικῶς, *id est, causaliter efferuntur, quæ oportet intelligi* ἐκβατικῶς, *hoc est, secundum eventum, ut Psal.* 51, *vers. Tibi soli peccavi & malum coram te feci,* לְמַעַן תִּצְדַּק, *ut justificeris. Neq; enim peccatum sive malitia causa est justitiæ & veritatis divinæ; sed* ἔκβασιν *significat Psaltes, ut notat Cassiodorus. Hinc etiam particulæ illæ similes in N T. rectè explicari possunt* ὅπως, ἵνα, ὅτι, τὸ *Matth.* 2, 23. & *c.* 13, 35. & *c.* 25. 35. *c.* 27. 35. *Marc.* 14, 49. *Luc.* 7, 47. *Joh.* 9, 36. *(notat eventum in malis hominibus)* & *c.* 12, 39 *(Theophyl. non est* αἰτιολογίας *sed* ἐκβάσεως*)* & *c.* 13, 18 & *c.* 17. 12 *c.* 18, 9. 32. *c.* 19. 24. 36. *Rom,* 11, 30. *Sic hoc loco non ideò scortabantur Israëlitæ ut Dei nomen prophanarent, sed ut suam indomitam explerent libidinem, Unde tamen*

Scriptura quæ sunt intelligenda ἐκβατικῶς, αἰτιολογικῶς ponit.

men eveniebat per accidens, ut prophanaretur nomen Dei Sanctum. Sic iidem Judæi non ideò occidebant, ut veniret super eos omnes sanguis justus, & tamen hoc ita eveniebat, teste Christo, Matth. 23, 35. De phrasi ipsâ (prophanare nomen Dei sanctum) consule loca, Lev. 18, 21. & 9, 22. & 20, 3. & 21, 6. & 22. 2, 32. *Jer.* 34, 16. *Ezech.* 20, 39. & 36, 20. *Mal.* 2, 11. 21.

Vers. 8. *Sed cum hæc omnia designaverunt flagitia, id restabat scilicet, ut improbè de his malis, quasi rebus benè gestis gloriarentur, vel hypocrisi pessima Deo illuderent: Quum enim cultum divinum præstant, suppellex sunt, pauperum pignora; sumptus, opes injustè per rapinam partæ. Nam* super vestes in pignus acceptas, *præterq; ac contra DEI expressam legem detentas, Deut.* 24, 12. 13. *Exod.* 22, 26, 27. inclinant se *ut accumbant (Israëlitæ enim convivaturi non sedebant ad mensam, sed juxta eam discumbebant, id est, jacebant in lectulis. vide J. Lipsium lib. 3. antiq. lect. Taxat igitur, quod tum vestes pauperum sibi substernant, nec reddiderint. Hieronymus ita censet: Quum divites idololatræ erant secum abducturi pauperes creditores pios ad Deos alienos, & hi nollent, pignoris loco illis vestes eripiebant, easq; secum auferebant)* juxta omne altare. *siquidem moris erat, in ipso templo solennia sacrificiorum agitare convivia, Deut.* 14. 23. 16, 1. *Sam.* 1, 3 4. &c & vinum damnatorum, *hoc est, emptum pecuniâ eorum, quos injustè damnaverunt,* bibunt: *unde LXX. satis benè, οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν, Chaldæus verò* חֲמַר אוֹנְסִין *id est, vinum violentiæ vel rapinæ, reddidit, Job,* 24, 6. *Est tamen qui id ex Prov,* 31, 6. *pro vino fortissimo accipit. Hæc*

Quid intelligendum per vinum damnatorum.

autem vinum non bibunt in angulo aut taberna, sed in domo Dei sui, *quem hoc pacto suæ prædæ socium faciunt acreum, in quo divini numinis contemptus satis apparet, Psal.* 94, 5. 6. 7.

Dei beneficia populo Israëlitico præstita, cùm corporalia, I. hostiũ deletio.

Vers. 9. *Hæc scelera & multa alia contra me DEUM suum nefariè perpetrant, omnium beneficiorum, quibus cùm eos, tùm eorum majores affeci, prorsus immemores. Inter quæ, quod ex corporalibus apud Prophetam nostrum primum est, valdè exaggerat, nempè hostium potentissimorum deletionem:* qvamvis, *inquit,* Ego, *non illi suis viribus, Exod.* 14, 14. *Psal.* 44, 3. 4. *exterminaverim & perdiderim, Deut.* 11, 23. *&* 19, 1. *cùm reliquos terræ Cananææ incolas, Gen.* 25, 19. 20. 21. *tùm vel maximè populum fortissimum* Amorrhæum à facie ipsorum *antequam ipsi advenirent, Ex.* 23, 27. 28. 29 30. *Num.* 13, 33. *c.* 21, 24, 25. *Deut.* 1, 4. *&* 2, 30. *&* 3, 1. *Jos.* 10, 12. *Jud.* 11, 23. 24. *Psal.* 135, 11, 12. Amplificatur *hoc tribus potissimum circumstantiis, quarum* prima *est ab Amorrhæorum persona, in qua staturæ proceritas & roboris firmitas: quippe* quorum altitudo *erat* similis altitudini cedrorum, *quæ illis in locis erant procerissimæ, &, ut canit Virgil. l.* 9. *Aen. v.*774. *Abietibus juvenes patriis & montibus æquos,* & robusti erant, ut robora *seu quercus validissimæ: Unde exploratores à Mose emissi in terram Canaan, cum essent reversi, ita loquuntur: Totus ille populus, quem vidimus, sunt homines proceri, præterea ibi vidimus gigantes, qui superant reliquos gigantes, adeò, ut videremur in oculis nostris esse ut cicadæ, & sic essemus in oculis eorum, Num.* 13. 32. 33. *& Ogi regis Amorrhæorum in Baschane sponda ferrea novem*

(Qvid sit, à facie ipsorum) Amplificatur tribus circumstantiis. 1.

(gigãtes)

vem cubitorum in longitudinem, & quatuor cubitorum in latitudinem, cubito virili ac justæ mensuræ fuisse scribitur, Deut. 3, 11. Secunda *circumstantia est de ruinâ & excidio* 2
eorundem totali, quod exponitur per elegantem similitudinem desumptam ab arbore, ut ita in cœpta persistat metaphora: perdidi fructũ ejus supernè, radices ejus infernè, *minores & majores filios cum patribus, liberos cum parentibus. Vide de hac loquendi ratione, Esa. 37, 31 Ezech. 17, 6. 7. 2. Reg. 19, 30. Job 14. 7. 8, & c. 18, 16. Psal. 80. 10. & de reipsa Deut. 7, 2. Jos. 6. 71, Sapient. 12, 11. contrà Mal. 4, 1.* (Fructus supernè. radices infernè)

3.

Vers. 10. TERTIA *circumstantia est ab Israelitarum persona, ne putent, tàm potentes hostes suis domitos esse viribus, siquidem ipsi erant servi in Ægypto, quos tamen inde extento brachio eductos terræ sanctæ dominos effecit Dominus, quod est secundum inter corporalia beneficia hîc enumerata. Quam verò, ait Jehova, retulistis, vel etiamnum refertis mihi gratiam, ô Israëlitæ omnium ingratissimi:* Cùm ego eduxerim vos è terrâ Ægypti *& domo servorum, Exod. 20, 2. Tertium autem hoc excipit beneficium, nempè protectio & conservatio mirabilis in deserto, Ego sum, qui, eductos vos, statim in terram promissam fueram traducturus, sed majorum vestrorum factum est inobedientiâ, Num. 14, 22. 19, 33.* 34 ut vos deducerem per desertum integros quadraginta annos, *ubi ἐτροποφόρησε, Actor. 13, 18. & tanto tempore tantam turbam in loco tam sterili, tam liberaliter sustentavi. Et quartò tandem, velut cumulum ingentem reliquis hisce corporalibus beneficiis adjeci, hoc quod vos introduxerim in terram promissam patribus,* non

II. Ex Ægypto eductio.

III. In terram sanctam deductio.

IV. Ejusdem perpetua possessio.

non ut eam per tempus aliquod incoleretis, veluti Ægyptum seu ad possidendum hæreditario jure terram illius Amorrhæi, *hoc est, per Synecdoch. in hac phrasi usitatissimam, totam terram Cananæam Vide Drus. l. 14. Observ. c. 12. Hunc autem hoc loco potissimum nominat, sic ut & Gen. 15, 16 quia erat reliquis potentior, ut tanto magis beneficij elucescat magnitudo.*

tùm spiritualia.

Prophetarum & Nasiræorum excitatio.

נְזִרִים

Vers. 11. *Sed quid necesse est, hæc externa recensere beneficia, cum spiritualia restent longè majora, eaq; hujusmodi, quibus meritò ad pœnitentiam & gratæ mentis declarationem excitari vos æquum fuerat:* quia excitavi vobis וָאָקִים *feci ut surgerent, id quod ad excellentiam referri debet. Confer Deut.* 34, 10. *Matth.* 11. 11. è filiis vestris *quosdam* Prophetas, *tùm cum adhuc erant in ætate tenerâ, veluti Samuelem,* 1. *Sam.* 3, 8. 20. *& Jeremiam, Jer.* 1, 5, 6. *qui docerent vos, ut vel inde agnosceretis, quàm sitirem salutem vestram, qui etiam puerulos vestros redderem idoneos, ut evaderent in Prophetas* לִנְבִיאִים *ut essent Prophetæ, Deut.* 18, 15. *Buxt. Th. p.* 454. 455. *supra v,* 1. *hujus cap.* & ex juvenibus vestris electis, qui essent Nasiræi. *Hebraicè* נְזִרִים, *qui ex pio voto à certis rebus, maximè vero vino abstinebant, Num.* 6, 13. *cui dedita esse solet illa ætas juvenilis (Græcè ἀφωρισμένοι in N. T. nomine manente, re mutatâ Roman.* 1, 1.) *qui suo exemplo sanctè vivendo vobis præeunt, quales erant Recabai, Jer* 35, 2. *Simson Jud.* 13. 5. 7. *Samuel.* 1. *Sam.* 1. 11, *Hoc modo suis beneficiis expositis, interrogationem hanc Rhetoricam (Joël.* 1, 16. *Ps.* 2. 1.) *Deus subjicit:* An verò non ita? ô filij Israël dictum Jehovæ, *ut istorum hominum, quantumvis obstina-*

ſtinatorum, & in Dei beneficiis agnoſcendis brutorum, conſcientia acerrimè hoc modo pungeretur, confeſſioq; vel ab invitis extorqueretur ad Dei oſtendendam juſtitiam.

Verſ. 12. *Ut autem ulterius indigniſſimum horum beneficiorum contemptum oſtendat, poſtremum reſumit* ὕστερον πρότερον *declarat ipſorum rebellionem peſſimam.* At *contrâ inquit, vos illis* ipſis Naſiræis, *quos ex veſtris filiis excitaveram, veſtro bono,* bibendum dediſtis vinum *LXX.* ἐποτίζετε τοὺς ἡγιασμένους, *adegiſtis eos, ut contra votum ſuum, meumq; de eo latum edictum, vinum biberent, absq; quo eſſet, vini uſus moderatus cuivis licitus eſt;* & prophetis *ad docendum miſſis* inter dixiſtis, *& publicâ autoritate & mandato (quæ eſt verbi* צִוָּה *emphaſis, & quando cum particula* עַל *conſtruitur, ſignificat vetuit vel publicè interdixit Gen.* 2, 16. *&* 28, 6. *&* 44, 1. *&c. Nahum.* 1, 14. *confer etiam Gen.* 3, 12, *Deut.* 2, 37. *ubi etiam ſignificat interdixit)* dicendo: Ne prophetetis, *ne ita apertè nos noſtraq; ſcelera objurgetis, inf. cap.* 7, 13. *quomodo ſpiritum meum in ipſis loquentem exſtinctum ivſtis,* 1. *Theſſ.* 19. *qui diſceptavit vobiſcum, Geneſ.* 6, 3. *& vos de peccato coarguit, Joh.* 16, 8

צִוָּה cum עַל conſtructum

Verſ. 13. *Vos verò ſpiritum illum gratiæ exacerbaſtis, Ebr.* 10, 29. *Pœnam igitur meruiſtis graviſſimamquam jam porrò denuncio, quæ erit tanta, ut nihil vel humana prudentia proviſum, vel opibus quæſitum, vel naturâ datum vos liberare poſſit, & id ſolum ſupereſt ut pœnitentia ſeria huic antevertatis malo. Nam* ecce, Ego premens אָנֹכִי מֵעִיק *paulò poſt preſſurus ſum*

(quo

(*quomodo Benoni pro paulò post futuro sæpè usurpari solet*) subter *vel inter* vos, *vel locum vestrum* (*quomodo vox* תחת *usurpatur, Exod.* 10. 23. *&* 16, 29. 1. *Sam.* 14. 9. *Zach.* 12, 6. *Habac.* 3, 16.) quemadmodum premit plaustrum (*puta terram, vel frumentum, quod olim plaustris onustis premi solebat, ut excuterentur grana. Esa.* 28, 27. 28, *vel animal, quod rotis plaustri subjicitur, ex qua pressura illud debilitatur vel ineptum redditur ad cursum. Vide scholia Piscatoris. Sic vertit Chaldæus: Ecce ego adduco super vos angustiam, & angustiis afficiet vos in loco vestro, sicut angustiis premitur plaustrum onustum manipulis. Sa & Mariana, obsidione vos preman*) quod est manipulis plenum siti, *pleonasmo hebraico, non sine causa adjecto, ut ita naturæ convenienter ostendatur, quod illud intelligat plaustrum adeò onustum, ut ne quidem unum amplius capiat manipulum, Buxtorff. in Thes. p.* 379, 419. *& quia etiam tale plaustrum tardius progreditur, citiusq; ab insequente comprehenditur, notatur, mox pœnam his malis irrogatum iri. Et hæc explicatio scopo Prophetæ, cohærentiæ textus, & proprietati verborum optimè congruit: quam etiam Lutherus sequitur.* Ich wils unter euch kirren machen/ wie ein Wage voll Garben kirret. *illen. est expositæ iniquitati & per comparationem beneficiorum Dei illustratæ (sicut in præced. denunciatione factum vidimus) nunc pœnam, non ejus causam subjicere. Quod & porrò ex versus sequentis initiò liquet, ubi conjunctio ostendit, ea quæ sequuntur, cum hisce tanquam similia copulari. Et denique ut taceam, quod verbum* עיק *bis in conjugatione Hiphil plerumq; dupliciter activâ, repetatur, Nomina inde derivata*

[Margin: תחת i.e. locus.]

[Margin: Vetus mos triturandi.]

[Margin: עיק]

rivata idem evincunt, Psal. 55, 4. & 66, 11. & Hebraeorum peritissimi idem statuunt, ופירושי צרה *id est, significat afflictionem, quam alius infert, qui angustat. Alii tum vulgato latino interprete, R. Abrahamo, Tigurino, Vatablo, Hieronymo, Syro paraphraste, D. Winckelm. vertunt: ego premor subter vos, quemadmodum premitur, seu stridet plaustrum: Ego onere vestrorum peccatorum, quae ferre amplius nequeo, plaustrum autem manipulis frumenti: & quemadmodum hoc stridorem edit valdè acutum, ita non tacebo amplius, sed signis ostendam tolerari non amplius à me posse hoc iniquitatis onus. Ut ita sint verba DEI conquerentis, quae nos, &, nisi fallor, rectius, comminantis esse censemus, cum Ribera & à Lapide. Cui rei porrò firmandae, etiam hunc Esaiae locum adducimus cap. 25, 10. Triturabitur Moab in loco suo, ut trituratur palea ad stercorationem. Itemq; alterum quod ad subjectam materiam, parallelum, Esa. 28, 27. 28. Unde patet, crucem & calamitatem à Deo immissam, triturationi saepè comparari. Chaldaeus: obsidione premam, cingam vos, & obsidio talis erit, ut nullus evadat, uti sequitur.*

Vers. 14. Itaq; *cum Deus ita premet Israëlitas in loco suo, ut plaustrum sibi subjectum frumentum, tum* peribit effugium *à levi seu veloce*, & robustus *corpore* non fortificabit vires suas, ac animi virtute potens non liberabit animam suam, *id est, seipsum.*

Vers. 15. Et tenens arcum, *τοξότης arcitenens* non consistet, levisq; pedibus non liberabit se, neq; vehens equo liberabit se, *quorum verborum sensus & summa est haec: Miraculum fore, si quis effugiat, tantam*

Omnia effugia saepè pereunt.

tam futuram esse cladem: Ideoq; vanis exceptionibus, quæ fingunt sibi homines, quomodo velint hanc calamitatem effugere, occurrit, ostendens, quod omnia peritura sint effugia:

1. *Naturalia, qualia sunt velocitas pedum & corporis robur.*

2. *Arte & industria comparata, qualia potentia, animi fortitudo, autoritas & pugnandi peritia.*

3. *Opibus parata, ut dromedarij & equi velocissimi, Confer infra. c. 9, 1.*

Vers. 16. Et cum per hunc insignem μεγάσμὸν rem exposuisset ἄρσιν, θέσιν breviter subjicit, atq; ita hanc concionem concludit: Sed fortis animo, inter potentissimos nudus fugiet die illo, dictum Jehovæ. *Si quis futurus est, qui putet se malle strenuè in pugna cadere, quàm hosti terga dare, atq; ita corde sit intrepido, tamen nihil proficiet, quoniam ita tractabitur, ut præclarè secum agi putet, si vel omnibus, quæ habet, armis abjectis, vitam saltem conservare possit suam, cum ejus profusione nec sibi, nec aliis prodesse quicquam queat: abjectis inquam, armis aufugiet, quod erat ignominiosissimum.* Nudus peculiari ratione aliquando in scriptura dicitur. *Nudus enim in scripturâ sæpè dicitur, cui desunt ea indumenta, quæ ad rem præsentem sunt necessaria, quomodo nudus lugere dicitur, qui non habet vestes lugubres seu saccos, Esa. 20, 2. Mich, 1, 8. & Saul nudus prophetasse legitur, 1. Sam. 19, 14. puta, sine pallio prophetico: Vel nudus etiam dici potest in comparatione, qui non ita benè vestitus est, quomodo nudi etiam vestibus spoliari dicuntur, Job. 22, 6. vide Matth. 25, 36. Jac. 2, 15. 1. Cor.*

15. 1. *Cor.* 4, 11. *Janus Druſ. lib.* 14, *obſervat. c.* 14, *Vide Exerc. bibl. edit,* 3. *p.* 636. 637.

LOCI COMMUNES.

Ex verſu 1.)

I. DEUS eſt Deus omnium, non tantùm Judæorum, ſed etiam gentium, Rom. 3. 29. *& omnibus illatas ulciſcitur injurias, Pſal.* 5, 7. *&* 10, 14. 15. *Rom.* 10, 12. *quia eſt omnium creator, proviſor, vindex. Oſiander. Deus tam juſtus & æquus eſt, ut etiam impiorum hominum injurias, quæ illis injuſtè inferuntur, ulciſci velit* Man kan ſich auch an einem böſen Menſchen verſündigen wañ man jhm zuviel thut. *Quare in omnibus noſtris actionibus à norma pietatis, juſtitiæ & æquitatis non deflectamus, reſpicientes εἰς τὸν τρόπον ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον.* Deus eſt Deus omnium

II. Deus etiam pulverum minutiſſimorum poſt hanc vitam curam gerit, & ipſi diſplicet crudelitas, quæ excercetur in mortuos, Pſal. 79, 2. *quia inde unicuiq; in extremo die ſuum componet corpus, ut ſit idem numero. Confer & expende in textu originali emphaſes dictorum, Job.* 19, 26. 1. *Cor.* 15. 53. 54. *Digna ſunt verba Cor. à Lap. quæ huc referantur, & pontificiis quibusdam in Anglia D. Fagium, Bucerum, & alibi alioſq; eff. ſſis comburentibus opponantur. Ita ſcribit. Inhumanum eſt & probroſum valdè exhumare mortuos, eorum inſultare cineribus: tum quia honor ſepulchri ſunt ultima juſta naturæ, tum quia hoc eſt cum mortuis dimicare. Scimus, quid nonnulli Wittebergam ingreſſi victores rogaverint, videlicet ut liceret Lutheri ipſa oſſa effodere, & quomodo id optimi imperatoris pietas prohibuerit. Vide alia exempla apud eundem à Lapide, & adde, quod nefas* Pulverum noſtrorum curam gerit

I 2 ſit

Esa 29, 13. *Proinde quod Deus præcipit, hoc faciamus tantum, non addamus quicquam, nec minuamus ex eo, Deut.* 12. 32. damnantur.

VII. Non semper sequendi sunt majores vel patres, Ezech. 20, 30. *Actor.* 7, 51. *Quod est notandum contra Pontificios, qui in omnibus omninò majores sequendos esse clamitant. Non enim quid majores fecerint, sed quid Deus præceperit, observandum. Vide exemplum Jer.* 44, 17. *contra Ezech*, 20, 30. *De vindicatione loci Jerem*, 6, 16. *vide D, Winckelmanum pag.* 253.. patres nō semper sequendi.

Ex verſ. 5.)

Quod Deus nulla vel loci, vel urbis amplitudine motus pœnam cohibeat, Joel. 2, 3. *Etiam filios castigat, ut resipiscant.*

Ex verſ. 6.)

I. Δωροφαγίαν *in Judicibus valde improbari, Exod.* 18, 21. & 23, 8. *Deut*, 16, 19. *Sir*, 20, 30. Δωροφαγία damnatur, & judicij corruptio.

II. Judicium pervertere, maximum scelus est, Esa. 10, 1. *Thren.* 3, 35. 36. *Psal*, 82, 2. 3. *quia Judicium non est hominis, sed Dei, 2 Chron.* 19, 6. *Ps.* 82, 1. *Deut*, 1, 17. *Eccl.* 8, 9. *Notent hæc judices & Advocati, qui pauperes opprimunt, cum ex juramento eos tueri, imò ex officio causam eorum gratis agere teneantur, Audiant* fulmen Dei *Deut.* 27. 19. *Maledictus qui pervertit judicium advenæ, & pupilli, & viduæ. Et dicet omnis populus, Amen Rectè* Ambroſius *in serm. Justè Advocato dicitur (injustè igitur à multis animarum curatoribus id cùm publicè in concione, tum privatim in confessione tacetur) Redde quod accipisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adstasti, judicem fefellisti, justam cau-* In advocatos jus pervertentes.

sam oppressisti, de falsitate vicisti. Cassiodorus *in Ps.73. Hi sunt in conviviis scurræ, in exactionibus harpyiæ, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Hi sunt, quorum si nares afflaverit cujusdam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illis oculos Argi, manus Briarei, sphyngarum ungues; perjuria Leomedontis, Ulissis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymnestoris, pietatem pigri Leonis adhiberi.* Alanus *lib. de conquestione naturæ. Si quis armatus est pecuniâ tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut Dialecticæ muta sit subtilitas, Rhetoricæ languescat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis. Hæc de rabulis litigiosis, avaris & iniquis: veri enim Advocati Juris tutores, pauperum patroni, novi Ivones sunt, scribit in h. l. Cornelius â Lapide: addit Osiander. Meminerit magistratus, se à Deo potestatem accepisse ad defendendos innocentes, & liberandos injustè oppressos Esa. 1, 17.*

Principiis obsta.

III. Principiis obstandum in peccatis. Qui enim pecunia vendebant justum, mox eò deveniunt avaritiæ, ut etiam pari calceorum idem perpetrent flagitium, Neq; enim minus vitia, quàm virtutes cohærent, vide 2. Pet. 1, 5. 6. 7. Ephese 4, 18. 19 Roman. 1, 28. 29 & 3, 10. &c. Et in specie de avaritia hîc notetur, quod habet Apostolus, 1. Timoth. 6, 9. 10. Exemplum pete ab adultera vel quavis meretrice, cujus pudicitiæ primùm magnâ expugnatur & corrumpitur pecuniâ: post autem vilissimo pre-

cio se cuivis prostituit: & hæc deinceps transfer ad spirituale adulterium.

Ex vers. 7.)

I. Tenuis in causa justa non est deprimendus, Levit 19, 15.

II. Licet naturæ vox & lex sit, ut abstineant homines ab incestuoso concubitu: tamen sæpè ex nequitia illa obliteratur, ut tandam pœna sequatur gravissima, Lev. 18, 6. 24. 25, 1. Cor. 5, 1. &c.

Lex naturæ aliquando obscuratur.

III. Sanctè vivat, qui de sanctissimo Dei nominari cupit nomine, 1. Petr. 1, 15, 16. Luc. 1 75. Jer. 22, 32. & quia Dei nomen peccatis prophanatur, ipse hæc non vult aut jubet, Ps 5, 5. Osiander. Cum multi hodie suis sceleribus efficiant, ut Evangelij doctrina apud hostes Dei blasphemetur, gravissimam illi propter hoc datum offendiculum Deo rationem reddént; etiam magistratus, ob suam in puniendo talia flagitia, & ministri verbi ob suam in reprehendendo negligentiam.

Christiani sint sancti.

Ex vers. 8.)

I. Gloriari de perpetratis flagitiis peccatum est atrocissimum, Ps. 52, 2. Esa. 3, 9.

De peccatis ne gloriemur.

II. In pignoribus accipiendis humanitatis & dilectionis proximi semper simus memores, Deut. 24, 6. 10. 12. 13, Exod 22, 26.

Pignora quomodo accipienda.

III, Damnatur luxus magistratus, Prov. 31, 4. 5. Esa. 5, 11. 15 22. 23. & 28. 7, 8. Hos. 7. 7 præsertim si fiat ex rapina, Prov. 30, 15. Hos. 4, 18. D Winckelman. simile peccatum est, quando magistratus bona olim ad conservationem ministerij collata, in suos usus convertunt: item supplicia capitalia nonnunquam in mulctas

commu-

commutant, easq; postea alendis verbi ministris impendunt, putantes, sic sanguinem injustè effusum expiari.

Ex Versu 2.

Ingratus.

I. ingrato homine terra nil pejus creat: Maximè verò cum homines beneficiorum Dei obliviscuntur, Deut. 32 6.28. Psal. 103, 3.

Deus deprimit & extollit.

II, Deus est Judex, qui deprimit hunc, extollit & illum, Psal. 75, 8, Luc. 1, 42. Et si Amorrhaeum punivit, nulla est tanta potentia, quae non cedat Dei omnipotentiae.

Ex vers. 19)

Ægyptus mystic.

Liberati nos sumus ex Ægypto mysticâ, id est, regno diaboli, vide Bell. l. 4. de justif. c. 6, & Joël. 3, 19. Addit Osiander. Ad eundem modum Deus etiam hodie nobis ingratis exprobrare potest, quod majores nostros ex servitute pontificum Romanorum liberaverit. D. Chemnitius prius illud videtur negare p. 2 L. C. L. 1. c. 7. reg. 10. sed propriè accipit omnia, quomodo nobis non contradicit.

Ex vers. 11.)

I. Deus non fecit taliter omni nationi, quemadmodum indicavit verba sua & statuta Israëli, Psal. 147, 19. 20.

Prophetia est à Deo.

II. Nulla vera Prophetia allata est voluntate hominum, sed spiritu Dei impulsi sunt sancti Dei homines locuti 2 Pet. 1, 21. audiendi igitur, ut Deus ipse, Luc. 10, 16.

Nesiraeis non sunt similes monachi

III. Nesiraei in V. T. sui ordinis Deum autorem & approbatorem habebant, Num. 6. Jud. 13, 5. & 16. 17. Luc. 1, 15. Quibus, quia similes se profitentur Monachi, iidem Dei verbum de suo ordine proferant necesse est, quia illa, quae sunt de Nesiraeatu ad V. T. ceremonias spectant, & cum ejus umbris, luce & corpore adveniente, dispa-

disparuerunt Vide hac de re nugantem Bell. l. 2. de Monachis c. 5. & si placet, adi h l. Osiandrum prolixè ostendentem discrimen Nesiræorum & Monachorum. Et contrà vide apud D. Winckelmannum pag. 260. quomodo nobis D-us dederit Nesiræos, imò nos tales effecerit 1. nos sibi consecrando. 2. nos ab immoderato vini usu abducendo. 3. à contractu mortuorum operum arcendo. 4. in cursu pietatis patrem & matrem non manendo &c.

Ex vers. 12.

I. Quidquid est contra legem, peccatum est, 1. Johan. 3, 4. Quia itaq; expresso Dei verbo Nesiræis erat interdictum vino, qui ex his id bibebant, quin graviter peccarint, nullum est dubium. Tota enim vis in cultibus non in opere sed mandato Dei posita est. Sic Adamo in paradiso lex data, ne vesceretur pomis arboris vetitæ: parva res est per se, vesci pomo, sed non parva res erat verbum Dei vetans. Sauli mandabatur, ut expectaret Samuelen, Parva res est per se, non expectare alium, si quid ipse possis facere: sed contemtus mandati divini erat maximum peccatum, quia illud à ter maximo erat promulgatum. Verùm quando hinc certum ciborum delectum in N.T observandum esse probatum eunt Pontificij, non vident cæci, præcepta Dei de hoc itidem requiri, quæ hactenus in N. T. ostendere non potuerunt, vide Bell. l. 2. de bon. oper. c. 7 sed egregiè hujus fundamenta subruit Dn. Chemn. p. 4. Exam. Conc. Trid. L. 4. de jejunio & ciborum delectu.

Ex Nesireatu non potest probari ciborum delectus.

II. Jam ab initio mundi homines accusari de sceleribus suis noluerunt, vide Cainum Gen. 4. 5. Sodomitas, Gen 19, 8. 21. Antediluvianos, Gen. 5, 3. Herodem, Marc. 6. 17 20, Pharisæos Joël. 9, 66.

Homines peccantes nolunt accusari

Amplificatur hoc digressione, quæ Prophetam excusat à necessitate ipsi à Deo imposita, quomodo obliquè eos perstringit, quod verbum Dei audire noluerint. Tandem pœnas denunciat, clades quas paucissimi sint evasuri, ac eversionem totius regionis demum secuturam.

Partes *hujus* Capitis *& concionis secundæ sunt* tres: *Exordium, Propositio & conclusio.* Ἀνάλυσις Partes tres.

I. Exordium *parit attentionem, primùm à re, deinde à persona tam dicentis, quàm eorum, quibus dicitur, v. 1.* 1. Exordium.

II, Propositio & III. Conclusio *continentur hoc Enthymemate: Ego vobis benefeci: vos autem malam mihi rependitis gratiam. E. vos meritò puniam, quod prolepticè ponitur, vers. 1. 2. sequentibus verò latius evolvitur. Major, utpote nota, deest, Qui malam benefactoribus referunt gratiam, sunt puniendi. Et quidem propositionis membrum prius brevi inductione beneficiorum tantum ostenditur. nempè eductione ex Ægypto, & electione in populum: quia in capite præcedenti v. 9. 10. 11. prolixius hæc res erat tractata. Hinc per digressionem inseritur commoratio quædam & præmunitio ad futuram enarrationem judiciorum Dei, ut ita objectiones præscindantur inutiles, & necessitas denunciandi hæc mala, quæ incumbebat Prophetæ, demonstretur, & ita ex somno securitatis excitentur Israelitæ.* ejus membrũ prius. Inseritur digressio, in qua occurritur objectionibus.

Nam ne I. objiciant, hæc fingi à Prophetâ, similitudine à viatoribus, unum conficientibus iter, sumpta, respondet. Sic etiam inter se ac Deum, reliquosq́; ejus Prophetas veros convenire, & contrà ipsis colligendum relinquebat, 1.

inter ipsos malos & Deum bonum non amplius convenire; & propterea non esse, quod sperent eum porrò sibi adesse, ut antehac, pij cum essent, adfuit. Non itaq; fictæ sunt minæ hæ, sed à Deo facta decreta, vers. 3.

II. Ne dicant, At fortè frustra nos Deus his minis terret, respondet similitudine petitâ à leone: Sicut enim hic non rugit, nisi cum certò capturus est, aut jam cepit prædam: Sic etiam Deus non edet vocem suam frustrà per Prophetas, sed certissimè malos obstinatos comprehendet, ut prædixit per eos.

III. Non est quod dicant jam afflicti, fortuita esse hæc mala. Nam quemadmodum non capitur fortuitò avis sine aucupis studio, vel sine reti singulari curâ expanso: Sic nec mala pœnæ, quæ sunt retia, quibus implicentur mali, immittuntur sine Dei peculiari providentia, v. 5. Amplificat hoc & probat: quia Deus illa facit v. 6. & veluti vigil buccinâ venturi hostis dat signum ib. sic ille per Prophetas suos venturas clades prædicit, v. 7. qui propterea audiendi sunt, cum tacere ob Dei severum mandatum nequeant, v. 8.

Posterius. *Hactenus digressio, quâ cum sibi novam attentionem comparasset Propheta & autoritatem, jam posterius propositionis membrum subjicit, quod est de ingratitudine & maleficentiâ populi maximâ, quam explicat attestatione prophanarum gentium, quæ eam possint palpare & dijudicare. v 9, & enarratione trium insignium criminum, crudelitatis, ibid. crassæ juris ignorantiæ, & insatiabilis avaritiæ, v. 10.*

II. Conclusio. *Conclusio pœnam talionis illi iniquitati optimè respondentem subjungit, nam crudeles tractabuntur crudeli-*

deliter, & *avarorum opes ab avaris diripientur*, v. 11. *Hanc amplificat primò in Subiectis ab eventu tristissimo*, *quia paucissimi sint evasuri* v. 12. *sed tamen certò eventuro*, *cum eum Prophetæ iubeantur prædicere*, v. 13. *Deinde in adiunctis*; *quia evertetur propterea tota regio*, *tàm ædes sanctæ*, *vers.* 14. *quàm prophanæ*: *sive fuerint magnificæ*, *sive tenues*, *vers.* 15.

PARS PPIMA,

Ex vers. 1.)

Exordio hoc attentionem sibi conciliaturus Propheta & rerum dicendarum commendationem instituit: Audite hoc verbum hoc ipsum, *in sua lingua hebræa* אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה, *Emphaticè triplici*, *id insigniens articulo*, & *personam*, *cùm loquentis*, *tum quibus hæc loquitur*, *nominat*. *Audite enim*, *inquit verbum hoc* quod loquitur & *decrevit* (*quomodo verbum* דָּבָר *quandoq; accipitur*, *Jonæ* 3, 10. *Jer.* 18, 7, 6.) *non homo quispiam*, *sed æternus & veracissimus* Jehova, *quo dicente res omnino fiunt*, *Psal.* 33, 9. & 148, 5. *quo certè confirmatur hæc Prophetæ doctrina quàm maximè*, *ut plus habeat reverentiæ*, *neq; putent esse sibi negotium cum homine*. *Loquitur verò Jehova hoc verbum suum decretorium*, *non contra incircumcisas gentes*, *ut supra c.* 1. *sed* contra vos, O filij Israël, *qui jactitare soletis vos esse sanctum illud Abrahæ semen*, *Dei populum*, *gentem*, *quam ail git Jehova*, &c. *aurem vellicat hoc titulo*, *ut vel patriarchæ pii vestigiis insistant*, *vel ut inobedientes filii pœnam à Deo decretam expectent*, *D. Winkelman*. *Valeat nunc tandem vana iactantia*, *cum au-*

diatis contra vos esse illum, unde omnis sanctitas, neq; hæc loquitur tantùm contra vos solos, sed contra omnem familiam, quam *Ego Jehova ipse, qui hæc loquor per Prophetam*, ascendere feci ex terra Ægypti, *quicunq; tandem sunt, qui hujus beneficij ac salutis facti sunt compotes in utroq; regno: id quod iterum deprædicat, ut ingratorum tantò majori cum gravitate exaggeret crimina, ut supra c. 2. 10. Nihil enim aliud est hæc commemoratio, quàm immemoris beneficij tacita exprobratio. Per vocem* מִשְׁפָּחָה, *quæ propriè familiam genus vel cognationem significat, hoc loco scripturæ phrasi, gens seu natio tota intelligitur: quia & hæc post diluvium ex unâ propagata est familia, ut latè describitur Gen. 10. In hac verò significatione extat hoc vocabulum infra v. 2. Jer. 3, 14. & 8, 3. Mich. 2. 3. Nah. 3, 5. Zach. 14, 18. & apud Græcos nomen* φυλὴ, *quod propriè tribum seu familiam notat, Apoc. 7, 4. 5. 6. 7. 8. in hac significatione extat, Dan. 3, 3, 3. 21. Sir. 16, 4. & in N. T. Matth. 24, 30. Apoc. 1, 7. & 13, 7.*

De Locis communibus, *qui hinc poterant erui, vide supra in c. 1. v. 1. Joelis, & hujus Prophetæ Amos. Adde tamen ex D. Winckelman. Discant doctores Ecclesiarum verbum Domini, ut in sacro codice continetur, tradere. Proinde peccant, qui pro concione frequenter Pindari, Sophoclis, Platonis, Ciceronis & aliorum gentilium sententias crepant, ostentandæ nescio cujus eruditionis transmarinæ gratia. Confer quæ dicta in Jonam cap. 3. 3. L. C. 2.*

PARS

PARS SECUNDA.

Verſ. 2.

Proleptica propoſitio hujus capitis duo hæc continet, I. Maximi à DEO Iſraëlitis præſtiti beneficij commemorationem, quod ſcilicet educti ex Ægyptiacâ ſervitute reliquis totius terræ nationibus gratiosè à Deo ſint prælati, ab eoq; in ſuum peculium & populum electi, cujus, ſingularem geſſit curam, quippè qui factus erat ipſi nullo ſuo merito, ſed mera Dei gratia, Deut. 7, 7. 8. *c.* 9, 4. *c.* 10, 15. *genus illud electum, regale ſacordotium, gens ſancta, populus peculiaris Deut.* 4, 20. & 7, 6. *Exod.* 19. 1. *Pet.* 2, 9. *confer & Rom* 2, 17. & 3, 2. & 9, 4 *ad ea enim omnia reſpicit Propheta, vocabulo hebræo emphatico, quando ait,* tantummodò vos agnovi: יָדַעְתִּי *(vide in Pſ.* 1, 6. *)* ex ommibus terræ familiis, *ſummo amoris gradu vos proſecutus ſum, Nah.* 1, 4. *Pſ.* 147, 18. 19 & 76, 2. 3. *curam veſtri geſſi ſingularem, cui ignis erat in Sione, & fumus Jeroſolymis, Jeſ.* 31. 9. *qui valde dilexi hunc populum, & ſanctos ejus habebam in manu mea, Deut.* 33, 3. *Eſa.* 49, 15. 16. *Unde Chaldæus interpres, ſenſum reſpiciens, optimè vertit* לְחוּד בְּכוֹן אִתְרְעֵתִי *ſolùm vos elegi. Quod tamen, ne hîc trahas cum pleriſq; Calvinianis ad decretum electionis, quod fingunt, abſolutum, ſcito, primùm ejus emphaſin, græca illa phraſi, optimè exprimi poſſe, ἐν ὑμῖν μόνον εὐδόκησα. Cum autem εὐδοκία illa Dei in homines derivetur per & propter Chriſtum, Matth.* 3, 17. & 12, 18 & 17, 5. *Luc.* 2, 14 *hic verò datus & natus ſit omnibus, Luc.* 2, 10, 11. *Col.* 1, 20 *Johan* 3, 16. *à Deo neminem excludi certum eſt, niſi ſi quis indignum ſe reddiderit ipſe huc Dei gratia, Actor.* 13. 46. *Deinde neq; hic de*

Eſt hic beneficij à Deo præſtiti commemoratio.

(ἔμφασις verbi יָדַע)

hinc non ſtabilitur decretum abſolutū Calvinianorum)

de electione ad vitam æternam agitur primariò, sed de prærogativa externa aliqua hujus populi, ut Mal. 1. 2. 3. 4. similis locus exponitur, & de hoc ex præcedenti capite constat, unde rectè in h. l. Franciscus Lamberti, vos elegi, ut vobis committerem eloquia mea Rom 3. & 9. & ut è vobis meus unigenitus esset secundum carnem, ib. cur ergò à me ad vitulos aureos defecistis? II. Pœnarum *denunciationem ob ingratitudinem summam; quæ quod sint longè justissimæ, ex hâc liquidò apparet* [illegible]. *Nam propter violatum á vobis, ô Israëlitæ, pactum meum, quod cum conditione obedientiæ vestræ vobiscum inij & benedictionem voci meæ auscultantibus promisi, Exod 19, 15. Deut. 28, 1. cogor illas easdem pœnas tum refractariis denunciatas, ibid. v. 15. & c. exsequi:* Idcirco visitabo super vos, *in irâ puta*, omnes iniquitares vestras *Exod. 20, 5. & severè puniam.*

& ob ingratitudinem pœnarum denunciatio.

Vers. 3. Et quomodo possum deinceps vobis adesse, cum vos impij non amplius ambuletis mecum? Quomodo ego ambularem & procederem vobiscum? cùm inter nos non conveniat amplius. Non est, quod fœdus illud vobiscum initum prætendatis, ac putetis, propterea vos non punitum iri: Ecce prædico vobis, id à vobis esse labefactatum, imò, quantum ad vos spectat, penitus sublatum. Piscator. Hoc simili significat, se velle ipsos deserere, quia sibi cum eis non conveniat, nimirum quod offensus sit eorum peccatis. Quid multis? Nostis, ita in rebus humanis fieri: An *enim* duo sunt ambulaturi unà? *An unum idemq; conficient iter*, nisi *de hac re* convenerint *inter se, tempus & locum sibi condicentes, consensu unanimi? Nequaquàm, siquidem hanc negativam responsionem*

1. Similitudo à viatoribus desumpta.

(Deus cũ malis no ambulat)

sionem ista innuit interrogatio, ut ex cohærentia textus & scopo liquet. Vide Joël. 1, 2,) Quomodo ergò ego Deus vester vobiscum posthac ambularem, cum inter nos non conveniat? Ambulavi hactenus inter vos in deserto, in hac terra, ut pater, maritus, dominus: vos autem me relicto transiistis ad idola, & quia vobis convenit cum idolis, quibus cum mihi non convenit, planè non ambulabo deinceps inter vos, nisi ut judex severus, ut hostis crudelis, quemadmodum minatus sum Levit. 26, 24. ut leo cum præda, quam cepit, anceps cum ave, quam irretivit, venator cum fera, quam illaqueavit, scribit Corn. à Lapide ex Ruperto, Clario, Ribera, probatq; ex antecedentibus & seqentibus. Προμύθιον *velut faciunt & scopum illa verba, visitabo super vos iniquitates vestras, &* ἐπιμύθιον *v. 6. an est malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Emanuel Sa ita exponit: non consentitis mecum, ideo non ambulabo vobiscum, sed recedam, nec vos protegam. Et tantùm abest, ut ego per meos Prophetas vobis hoc jam promittam, & commune iter condicam ut planè contrarium appareat, qui magno Spiritus consensu Prophetas meos Micham, Jesaiam, Hoseam & hunc Amos idem curo proclamandum, me non esse vobis propitium, sed imminere vobis à me exitium, nisi maturè pœnitentiâ seriâ huic antevertatis malo. An non hoc ita est, ô Israelitæ; an non tandem hinc colligetis, me potius cum Prophetis, quorum prædictiones vos spernitis, esse, quibus hoc inspiravi, quàm vobiscum?*

Vers. 4. Sed quæ vestra est pertinacia, frustrà hæc ipsi vobis quotidiè ingeminant ac inculcant. Dicitis enim in corde vestro, non esse eventurum, quod ipsi vaticinan-

2. à rugitu leonis.

cinantur, esse hæc inania terriculamenta. Agite verò alio exemplo è mediopetito hoc declarabo. Si leo non rugit frustrà, nec frustra edit vocem suam; nisi cum jam cepit, aut certò apturus est prædam: an putatis Deum omnipotentem & omniscium frustrà voce suâ per Prophetas intonare, nisi cum vel pœnas jam immisit, vel certissimè immissurus est? Nequaquam. Sed ut leonis rugitus (id quod vos docet experientia) est certum prædæ signum, ita Dei prædictio cladis futuræ indubitatum est testimonium quæ nisi immineret, de eâ ipse non præmoneret. Non est igitur de nihilo, quod Deus per Prophetas ita clamat, sed certissimè has minas est secutura ruina, nisi resipueritis. Piscator. Hoc simili significat, se non merè denunciare eis calamitates, sed illas certò esse eventuras. An *enim* rugiet leo in sylvâ, *quem tamen spes sua frustrari posset,* si nulla præda, hebr. טֶרֶף quam possit rapere, adesset ei? An editurus est leo juvenis vocem suam è lustro suo, *unde insidiatur feris, Job.* 39, 1. 2. *velut ex suo habitaculo, quomodo catachresticῶs hoc loco* מָעוֹן *appellatur: Confer Psal.* 10. 8. 9. *Psal.* 17, 12. *Jer.* 25, 38. nisi cum jam *aliquid* cepit *Psal* 104, 21, 22. *Esa.* 31, 4. *Leones enim captâ prædâ rugire solent voce ad mugitum conformata, ut eo sono audito alij leones ad ejusdem prædæ participationem confluant, ut Plutarch. l. de industriâ animal. annotat. Hoc vos Israelitæ sæpius fieri cernitis, & nihilominus sic obbrutescitis, ut nihil quicquam, quæ ad pacem vestram spectant, curetis. Quin verò jam à me puniti, manum meam non agnoscitis aut providentiam, sed omnia cæco fortunæ arbitrio subjecta esse putatis, quasi mundo nullus inesset.*

(מְעוֹן id est, lustrum.)

Rector,

Rector, & incerto fluerent mortalia casu. *A Lapide scribit, leonem bis rugire, primùm quum videt, secundò quum prehendit prædam. vide eum pag.* 294. *b.*

Vers. 5. *Verùm agite, ô brutissimi & stultissimi in populo, dicentes; Non respicit Jehova, non animadvertit Deus. Animadvertite vos: An plantator auris non audiat? an formator oculi non intueatur? & castigator gentium non reprehendat? Psal.* 94, 7. 8. 9. 10. *Quando avis capitur laqueo, intelligitis fuisse aucupem, qui illum paraverit, non verò casu aut fortuna illam irretiri: vos irretimini plagis, & non creditis esse, qui illas vobis paret. Quando itidem rete aucupis in terra expansum videtis in terrâ sublatum; à perito aucupe contrahi, concluditis, jam captum esse aliquid. Deus vobis pœnas profert, quibus vos constringat, an arbitramini eas ab ipso retractum iri, antequam vos implicitos vi teneat; Non ita inducite animum; sed potius ita cogitetis, quemadmodum ne minima quidem avicula seu passer cadit, sine patre vestro cœlesti; Matth* 10, 29. *Luc.* 12, 6. *sic vos multò minus ita affligi sine ejus voluntate, sine qua nec bona nec mala accidere vobis queunt. Thren.* 3; 37, *Piscator. Hoc simili significat, se Israëlitis procuraturum insidias hostiles, eisq; successum daturum.* An enim casura est avicula (*hebraicè* צִפּוֹר: *passer, per speciem verò genus intelligi solet, quæcunq; parva avis, ei similis, Psal.* 8, 9. *)* in laqueum terræ, *in terrâ explicitum*, si tendicula non sit ei *singulari studio per aucupem parata Est enim* מוֹקֵשׁ *ipse laxus nodus in laqueo, ad avem constringendam confectus, quem græci aliquando vocant* ζυγὸν δάκον. An peritus auceps

; à laqueo aucupis.

צִפּוֹר

מוֹקֵשׁ

efferre solet laqueum è terra, *ubi eum semel extendit*, cum prorsus nihil cepit? *Non certè. Sic nec Deus nobis decreta mala refinget, antequam illis sitis implicati, nisi resipueritis, quod ut faciatis, tam diu, per tàm multos, & tàm severè, malum venturum prædicit, ut id intuentes expavescatis, & malam emendetis vitam. Rete autem quando Deo tribuitur, notat malum improvisum & inevitabile. Ezech.* 32, 3. *Thren.* 1, *vers.* 13. *Ezech.* 12. *vers.* 13.

4. à buccina speculatoris. *Vers.* 6. *Sed neq; sic quicquam Deus proficit, quum tuba prædicationis insonat, cum speculatores suos Prophetas constituit, ad præmonendum in tempore populum, de impendente ei malo, Ezech.* 3. *vers.* 1. & 33. *vers.* 7. *Esa.* 52. 8. & 57, 2. *Jer.* 6, 17. *Nemo enim (proh dolor) attendit, & omnes salutis suæ immemores obsurdescunt. In vitâ communi quidem clangente tubâ, extraordinariè, Hos.* 8, 1 *Jer.* 4, 5. 16. *Ezech.* 33, 2. *Joel.* 2, 1. *quæ periculi signum est, omnes contremiscunt & accurrunt trepidi: Verùm cùm DEI tuba, quæ est prophetæ vox c.* 1. *sup. v.* 1. *L. C.* 4. *prædicit malum, nihil commoventur stupidi.* Annon *verò ita se res habet, ô Israelitæ, (notis vobis prædico)* אם *anne? h. l. idem valet quod* ה *interrogativum. vide quæ dicta in Hos.* 12, 12. quum clangitur buccina in civitate, *an non* solet populus omnis *concitato cursu* accurrere, & *venturo malo vel sapientiâ suâ occurrere, vel eidem, si sit tale, quod averti nequeat, se subducere, vel saltem cum timore consultare & consilia sua conferre, cum, quid agat, nesciat (quæ est verbi hebræi* חָרַד *hoc loco emphasis, vide* 1. *Sam.* 16, 4. *Hos.* 11, 10, 11, 2, *Reg.* 4, 13. *Quod cum ita sit, annon su-*

חָרַד.

pinà

pina, imo detestanda est hæc somnolentia, quod cum pænæ mala omnia, Deo non tantum præsciente & prædicente, sed etiam efficiente contingant, quod nemo ejus curet vaticinia. Piscator. Hoc simili significat Israelitas ad denunciationem pænarum, quam prophetæ faciunt, debere trepidare, & pænitentiam agere, ut pænas evitent. An *enim* erit malum *ullum pænæ seu afflictionis, Joel, 2, 13. græcè κακία, Matth. 6, 34,* quod Jehova *ipse* non efficiat, *qui id parat ac creat, Esa. 45, 7. quomodo disertè non de malo culpæ seu peccato, interpretatur hunc locum ipse etiam Calvinus, eumq; secuti Calviniani interpretes Mercerus, Drusius, Danæus, Gvaltherus, ut mirum sit reperiri, qui eum ad blasphemum illud stabiliendum dogma trahunt, quasi Deus ullo modo peccati autor vel causa sit, cujus sunt homines ipsi autores, Ose, 13, 9, Jac. 1, 14. Calvinus. Non hic agitur de peccato, sed* רעה *significat malum, quicquid nobis adversum est, & quod naturâ fugimus, Mercerus. Vides apertè, de malo pænæ sermonem esse, non culpæ. Danæus. Mali nomine non intelligimus peccatum, sed afflictionem: nec enim peccati nostri autor est, vel causa Deus, sed nos ipsi. Drusius. malum pænæ intelligo, ut scholastici loquuntur. D. Brentius autem & Lutherus in lib. de servo arbitrio agentes de hoc loco ex posterioribus scriptis sunt commodè explicandi,* Malum *itaq; pænæ à Deo descendit, Mich. 1, 12. qui illud adducit, Jer. 11, 11. & facit ipse, Eccl. 7, 14. non tàm ut perdat, quàm ut peccantes emendet & corrigat, quorum non vult interitum, nisi quando ipsi prorsus obstinati & inexcusabiles sibi pro suâ cordis duritie thesaurizant iram in diem iræ, Rom. 2,*

Non fit hic sermo de malo culpæ.

Sed pœnæ.

4. 5. *Confer cum præcedentibus à Deo esse malum pœnæ, Thren. 3, 37. Esa. 45, 7. & cum eo, quod Deus castiget ut emendet, Basil. M. in homil. quod Deus non est autor malorum.*

Vers. 7, Hac enim de causa præmonet de malo venturo homines ut caveant, præsertim verò eos, qui degunt in Ecclesia. Non enim facit Dominus Jehovi, *suprà cap.* 1, 8. verbum *(hebraicè* דָּבָר*, quod non tantùm in V. T. sæpissimè pro re usurpatur, suprà cap.* 1, 1. *& vocabula græca ei respondentia itidem poni in N. T. consueverint,* λόγος, *Matth.* 5, 32. *Actor.* 15, 6. 1. *Tim.* 3. 1. ῥῆμα *Luc.* 1, 16. *& c.* 1, 15. *Unde præpositâ negandi particulâ, rectè interpretaberis, nihil quicquam) quod tamen hoc loco juxta subjectam materiam oportet intelligi in puniendo hoc suo populo, cujus salutem quærit, & quem non generatim saltem præmonet, ut reliquas prophanas gentes, sed & speciatim revocat à peccato, prædicendo pœnam, in hac re vix quicquam memorabile præstat, nisi cùm, hebr.* כִּי אִם *sic Ruth.* 3, 18. 2. *Sam.* 5. 6. quin longè antè revelet prophetis suis, *ut ipsi Israelitis porrò proponant* hoc secretum suum, *Prov.* 15, 22. *quod, antequam revelabatur, erat omninò arcanum consilium; nunc verò etiam revelatum, cum causam castigationum, & modum effugiendi eas ostendat, arcanum Reipublicæ Christianæ meritò habendum, quod Prophetæ non privato arbitrio vel reticere vel declarare queunt: sed omnino id exponere necesse habent,* cum sint servi Dei, *qui ejus voluntatem expedire coguntur, Ezech.* 9, 11. *Homines quidem reprehensi cum prophetis solent rixari, quasi ipsi turbent respublicas* 1. *Reg.* 18, 17. *& prophetent malum*

דָּבָר pro re.

ut λόγος & ῥῆμα

malum, 1, *Reg.* 22. 8. *sed quàm rectè, hinc apparet, cum & Deus ipse malum immittat, & his severè mandet, ut id venturum prænuncient, cujus autoritatem spernere meritò ipsis est religio: Imò, velint nolint jussa ejus exsequi coguntur, nec ullo modo omnipotentis sui Heri detrectari possunt edicta. Ne igitur putetis à vocibus prophetarum discrepare divina consilia, & vindictam, Mariana.*

Vers. 8. *Quemadmodum leone rugiente, nemo hominum, vel ne ullum brutum animal temperare sibi potest, quin contremiscat.* Leone *enim* rugiente, quis non timeat? Ita Domino Jehovi edicente, quis non prophetet? *qui multò potentius suâ voce terret Prophetas, ut non possint non eo loquente prophetare, quàm leo suo rugitu animalia perterrefaciat, ut non possint non eo rugiente contremiscere. Frustrà ergò vetatis fieri ab iis, quod omninò faciendum est, cùm semper sit potius obediendum Deo, quàm hominibus sup capr.* 2, 12. *Actor.* 4, 20. *ut &* 5: 29.

Vers. 9. Hactenus *προθεραπεία ad futuram, tùm iniquitatis populi, tùm judiciorum Dei enarrationem Prophetæ tàm ad excitandos securos auditores, quàm ad se aliosq; doctores invidia & suspicione liberandos, necessaria sequitur jam peccatorum expositio, quæ quia palliare conabantur Israelitæ, nec se judicio Dei patienter subjiciebant, alios ipsis judices constituit. Quosnam verò? Ad gentes incircumcisas, easq; & hostili in hos affectos animo, & ipsas magnorum criminum reas, ac propterea valde infames, appellat & provocat, ut sint ipsi testes, cum in rem præsentem venerint, tanta ac tàm gravia esse Israelita-*

Propheta cur ad gentes appellet?

litarum scelera, ut non tantum, quæ nunc denunciantur, meruerint pœnas, sed etiam longè graviores Q. d. tanta regnant in populo meo flagitia, ut etiam gentes ex luce naturæ damnare ea necesse habeant, si viderint. Vos igitur Prophetæ promulgate (*hebraicè* הַשְׁמִיעוּ *ex verbo, auditum facite, quod græci dicunt elegantius ἀκουτίσατε*) *& provocate* ad palatia, *quæ sunt* in Asdod, *supra c. 1, 8. celeberrima Philistæorum, juratorum Israëlis hostium, urbe:* & ad Palatia, quæ sunt in terra Ægypti, *ut horum incolæ, cùm audiant, lætentur, quod ex contrario licet colligere*, 2. *Sam.* 1, 20. & dicite, congregamini per montes Samariæ, *quæ est Israëlitarum metropolis*, 1. *Reg.* 16, 31. *&* 2. *Reg.* 6, 19. *super montem cognominem ædificata* 1. *Reg.* 16. 24. *Jos. l.* 8. *ant. Jud. c.* 12. & videte *ac spectate invisi vobis populi nequitiam, quam divina ultio brevi sequetur, quod vobis jucundum erit spectaculum, videte, inquam,* tumultus in ea plurimos, & per illos tumultus, ubi nulla viget amplius ratio vel æquitas, multos violenter in ea oppressos *per fraudem & vim, hebraicè* עֲשׁוּקִים. *Per vocem a,* מְהוּמוֹת *emphaticè designantur illi tumultus, in quibus miserè vexantur cum ipsi homines inquieti eos excitantes in mala conscientia, tum alij ab iis porrò divexati, unde h.l. versionum diversitas. Descendit ex* הוּם *id est vexavit, turbavit, Deut.* 7, 23. *confer Deut.* 28, 28. 1. *Sam.* 5, 8. 11. *&* 14, 20. *Prov.* 15, 16. 2. *Chron.* 15, 5, *Esa.* 22, 5. *Ezech.* 7, 7. *Zach* 14, 13.

Vers. 10. *Amplificatur autem porrò hæc divexatio primò à personis, in quibus mala mens, malus animus: secundò, ab adjuncto alio, crimine avaritiæ scilicet: tantum*

tum enim abest, ut rectè agant, ut ignorent *etiam* facere rectum, *(ne semel quidem, ideo in singulari dixit, Mariana) quæ est valdè crassa & non excusanda juris ignorantia*, dictum Jehovæ. *Sæpè enim malè agendo contra conscientiam, & scintillam illam lucis naturæ, quæ supererat, tandem exstinxerunt, ut, quid sit æquum, nesciant* illi thesaurizantes violentiam, & vastationem in palatiis suis: *hoc est, qui thesauros sibi congerunt per violentiam & devastationem aliorum, quæ sunt valdè crassa scelera, & vel cæcis istis judicibus, Philistæis & Ægyptiis palpabilia.*

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 2.)

I. Omnia non à Deo ex merâ accepisse gratiâ, 1. *Cor.* 4, 7. *Rom.* 11, 15. *quem non tàm nos cognovimus, quàm ab ipso sumus cogniti. Gal.* 4, 9. — Omnia à Deo.

II. Esse providentiam Dei singularem, 1. *Tim* 4, 10. *Deut* 32, 9. — providentia singu. laris.

III. Maximam Judæorum in V. T. fuisse prærogativam præ omnibus aliis nationibus, nullo tamen ipsorum merito, Ps. 147, 19. 20 *Esa.* 49, 3. *& in N. T. etiam Christum, ut Prophetam, ipsis solis audire & videre in carne contigit, Luc.* 10, 23. 24. *Matth.* 15, 24. *Act.* 13, 46. *&* 28, 25. *Jam autem omnes credentes sunt filij Abrahæ, Rom.* 9, 7. 8. *Gal.* 4. 28. — Judæorũ prærogativa.

IV. Judicium Domini à domo Dei incipit, Joël. 2, 1. *suprà c.* 2, 4. *Quibus adde, quod Deus etiam in propinquis suis sanctificetur, Lev.* 10, 2. *Pij tamen semper cogitent, calamitates has non ad interitum, sed ad erudi*tio- — Deus pios affligit.

ditionem generis humani spectare. Etenim quod non diu sinuntur, qui agunt impiè, sed statim in calamitates incidunt, magnum beneficij divini signum est. Non enim judicavit Dominus, quemadmodum in aliis gentibus longâ patientiâ differre, donec ipsi ad complementum peccatorum concurrentes premantur, ita etiam nobis faciendum esse. Quamobrem misericordiam quidem nunquam aufert à nobis, sed erudiens cum calamitate non derelinquet populum suum, ut valdè nervosè pièq; scribitur, 1. *Macc.* 6. 12. 13 14. 15 *& maximè juxta fidei analogiam. Confer. Gen.* 15, 16. *Rom*, 2, 4. 5. 1. *Cor.* 11, 23, *Ebr.* 12, 3. 5. 6. 7. 8. 9.

Ex vers. 3.)

Hæc vita est via.

Tota hæc Christianorum vita tantùm est ad patriam cœlestem via, Matth. 7, 13. *Luc.* 13. 24 *in quam per multas tribulationes ducimur, Actor,* 14, 22. *Benè verò ambulamus, quando Deum habemus ducem, Psal.* 23. 4. *in pietatis cursu pergentes progredimur, Gen* 5. 22. *&* 27, 1. *&* 73, 25. *Hebr.* 13, 2. 13. *& quamdiu cum Deo* 6, 9. *&* 48. 15. *Psl.* 116, 9. *Mich.* 6, 8. *illo enim solo pro nobis, quis contra nos? Rom.* 8, 31.

Ex vers. 4.)

Dei prædictionibus credamus.

Dei prædictiones, neq; frustra sunt, neq; fallere unquam possunt, 1, *Sam.* 3, 19. *&* 15. 29. *Esa.* 25, 1. *Illis igitur credamus, & inde nostram instituamus vitam, quia contemptor verbi corrumpetur: qui autem reveretur præceptum, ipse donatur pace. Prov.* 13. 13.

Ex vers. 5.)

Deus omnia gubernat.

Licet multi existiment, omnia fortuitò fieri, Eccles. 9, 13. *Sap.* 2, 2. *tamen ex verbo Dei novimus, omnia à Deo guber-*

gubernari, Actor. 17, 25. 28. Sap. 6, 8. etiam ipsas sortes, Prov. 16, 33.

Ex vers. 6.)

I. Et ministrorum verbi esse, elevare suam vocem more tubæ, ac annunciare populo Dei, tum peccata sua, tum ob ea venturas clades, Esa. 58, 1. Hos. 8, 1. & auditorum esse, dare locum admonitionibus fidis suorum doctorum, Hebr. 13, 17.

Concionatores sint velut buccinæ.

II. Malum pœnæ est à Deo, infra c. 4. 10. 1. Reg. 9, 9 & 22, 29 Vide Chemnit. p. I. Loc. C. l. 2. c. 4. membro. 3. & l. 5, c. 4. obj. 12.

Malum pœnæ est à Deo.

Ex vers. 7.)

Deus fideliter homines de malo venturo præmonet, Joël. 2, 1. & suis prophetis id antea revelat. Exempla sunt, Gen 6, 13. & c. 18, 17. 20. c, 19, 13. Jon. 1. 2. Diluvium prædixit per Noachum, plagas Ægypti per Mosen, gentibus vicinis Israëlitarum per Esaiam, Jeremiam, Ezechielem (ut suprâ cap 1. vidimus) suum excidium, etiam per Josuam, cap. 24. Deboram c. 4. Judic. Israëlitis, Jerosolymæ vastationem per Christum Luc. 19, 42. Nos autem tales prædictiones non contemnamus.

Deus de malis præmonet.

Ex vers. 8.)

Mandato Dei instructi verbi divini præcones omninò prophetent, instent tempestivè, & intempestivè redarguant, increpent, 2. Tim. 4, 2. Tit. 2. 5 sivè audiant, sive non audiant homines, dicant illis, & liberarunt animam suam, Ezech. 3, 2. 4. & 33, 9. Jer. 26, 2. 3. Crudelem enim medicum facit æger intemperans.

Concionatores semper instent.

Ex verſ. 9.)

Gentes Eccleſiæ judices.

Gentes aliquando quaſi judices Eccleſiæ conſtituuntur, ut pudeat hujus cives, Jer. 2, 10, 11, 12, Matth. 12, 41. 42. 1. Cor. 5, 1. quia quandoq; cives Eccleſiæ ita degenerant, ut ea faciant, quæ ne quidem gentes admittant.

Ex verſ. 10.)

Poſt lapſum ſumus cœci

I. Quod poſt lapſum non ſimus tam intelligentes, ut ſcimus, quæ ſint verè bona, maximè in ſpiritualibus, 2. Cor. 3, 4. Epheſ. 4, 17. Rom. 3, 11. aliquando etiam in rebus terrenis propter impedimenta, quæ recenſet Dn. Chemnit. p. 1. Loc. C. L. 9. cap. 2. 3. 5.

II. Avaritia ubi regnat, pietas, juſtitia & æquitas exulat. Oſiander.

PARS TERTIA.

Verſ. 11.)

Pœnæ denunciatio.

Hactenus declarata eſt populi iniquitas: ſequitur nunc ex vigore juſtitiæ divinæ pœna denuncianda: Id quod rationalis particula innuit; Idcirco ſic ait Dominus Jehovi, *propter veſtra ſcelera vobis iratus, quà de cauſa etiam propheta hoc loco oratione conciſâ, irato, qui crebras adhibere ſolet ἀποσιωπήσεις, congruâ utitur:* Hoſtis, *inquit,* & circum hanc terram, *ſcilicet adeſt, te circumſtat, te undiq; anguſtat, ut non ſit ullus effugio locus,* & dejicit abs te robur tuum, *ut non ſit vis reſiſtendi, confer ſuprà c. 2, 14. 15. 16* & diripientur palatia tua, *opesq; per violentiam collectæ, ſupra v. 10. & in illis reconditæ. Quid verò jam tibi animi eſt? confidis velocitati tuæ? ab hoſtibus audis te circumdatum*

datum iri, ne pateat effugium. Fidis robori? peribit. Spes restat in opibus? diripientur. Alij per hostem circumstantem, intestina bella, quibus primùm attriti sunt Judæi, volunt notari, & cum hac prædictione conferunt eventum, de quo 2. Reg. 15. 16. 17. Sed scopus Prophetæ innuit, intelligi potius debere cladem inevitabilem ab hostibus externis inferendam.

Vers. 12. *Hanc cladem amplificat porrò, quod sit futura tanta, ut nemo suis se salvaturus sit viribus, quemadmodum ovi nil roboris est, ut possit resistere leoni. Jam itaq; si qui pauci ex hac clade salvi evasuri sint, hoc non secus fore, ac si pastor de tota ove à leone abrepta, nihil aliud reportet, nisi duo crura, ab ipso jam saturo relicta, aut extremam auris particulam, quæ partes, quia non sunt carneæ, remanserunt integræ.* Sic enim ait Jehova: quemadmodum *(pastor pastorale simile iterum adhibet. vide supra c.* 1. 2.*)* eripit pastor ex ore *non lupi, sed quod difficilius & rarius fieri novimus,* leonis *sævissimi* duo crura, aut extremam auris particulam, *quæ in testimonium ovis discerptæ afferat suo Domino, ne rependat, Exod.* 22, 15. *Gen* 31, 36. Ita eripientur Israëlitæ *omnium maximè infirmi & derelicti, sicut conservatæ ex ovicula partes sunt omnium contemptissimæ, non eripientur strenui & pugnantes contra hostem, non valentes ac robusti,* sed qui desident Samariæ in latere lecti, imò in crure *seu angulo* spondæ, *quibus non est lectus integer: latendo, inquam, evadent pauci, & illi quidem, qui jam periisse putantur. Hunc esse hujus loci, variè ab interpretibus ferè omnibus redditi, ex stmo sensum, cùm id tàm ex parabolâ, quàm versu*

Amplificatio à simili pastorali.

Quid sit desidere in crure spondæ

antecedente constare queat. Ut illud mittam, tùm quod hoc loco non fiat Damasci mentio, unde plerisq; nata expositio, cùm sit in textu דְּמֶשֶׁק *non* דַּמֶּשֶׂק*, ut supra c. 1. 5. tùm quod in utroq; hoc membro eadem sit loquendi ratio & constructio. Varietatis versionum & explicationum dabo lectori aliquem gustum. D. Brentius, major pars populi habitabat tum in regno Damasceno, & in eo velut lecto recumbebat: minor v. populi portio Samariam incolebat, tanquam lecti angulum Danæus. Divites intelligit, qui in lecto id est, delitiis vivunt, quorum sors durior quum affliguntur non assueti. Drusius. Fortè fuit Samariæ vicus, qui dicebatur lectus. Lyra. Regio optima est, quasi lectus, in quo conquiescunt abutentes terræ ubertate. Ribera. In Damasci lectulo. Nam ut fessus vires in lecto recuperat, sic illi Damasci à Syris opem petebant, q. d. putant se tutos esse cum Syris, sed nihil est. Verùm ita non posse verti, constat, si textum hebræum inspicias, ideóq; sunt* ἀπροσδιόνυσα*, quæ ita afferuntur. Consule tamen, si tanti esse putas; commentarium Cornelij à Lap. qui cum dicit, perperam recentiores legere* דְּמֶשֶׁק*, bis ipse peccat. primùm, quod contra omnium codicum hebræorum fidem aliquid innovet, secundò, quod nesciat quædam chaldaica immisceri in biblijs, & proinde* ד *articulum illorum facilè huc potuisse transferri, si necesse esset* ד *esse articulum: in quo fallitur, quum* דְּמֶשֶׁק *sit nomen quatuor literarum &* ד *litera Radicalis, non servilis. Vide R. D. Kimchi in lib. Rad. eth. l. & Pagnini Lexicon majus cum notis Merceri. Mariana & Sa exponunt de securè dormientibus, quiescentibus, & nihil timentibus.*

Vers.

Verſ. 13. *Hæc verò, quia erant valdè horrenda, procul dubio non libenter ea protuliſſent Prophetæ, niſi ſeverè mandaſſet Dominus, ideo ſequitur hujus mandatum:* Audite (*vos Prophetæ*) & teſtamini in domo Jacob, *hæc vos ex ore meo accepiſſe*, eſſe hoc dictum Domini Jehovi, Domini exercituum: *quâ titulorum congerie dicentis indicatur majeſtas, ut cogitent, quo cum ſibi res ſit, infra c.* 4, 13.

Verſ. 14. *Ille autem omnipotens Induperator ita intonat:* Quo die animadvertam defectiones Iſraëlis in ipſo animadvertam quoq; in altaria Bethel, *ut ita materies & occaſio idololatriæ cùm idololatris peſſimus pereat modis*, adeò ut exſcindantur cornua altaris uniuscujusq;, & cadant in terram, *quod quomodo completum ſit, vide* 2. *Reg.* 23, 15. 2. *Chron.* 34, 4. 6. *Neminem verò turbet, quod* 1. *Reg.* 12, 32. 33, *&* 13, 2. *unum tantum altare Bethele fuiſſe legitur; progreſſu enim temporis plura ibi exſtructa eſſe, non obſcurè licet colligere ex his locis,* 2. *Chron.* 34, 4. 5. *Hoſ.* 8, 11. *&* 10, 1.

Domus hyemalis æſtivalis, eburnea.

Verſ. 15. *Locis autem ſanctis ita everſis, reliqua præſidia etiam minus firma erunt, omniaque diruentur palatia. Nam* percutiam domum hyemalem, cùm domo æſtivali, *ſiquidem olim potentiores duas habebant domos, vel ſaltem iisdem ædibus, duo diverſa ad hanc rem cœnacula, Jer.* 36, 22. *Jud.* 3, 20. *&* peribunt domus eburneæ, *ebore ornatæ,* 1. *Reg* 22, 39. *Pſal.* 45, 9. *Cant.* 7, 4. & deficient domus multæ, *magnæ, præſtantes, Mariana, vox hebræa & numerum & dignitatem ſignificat*, dictum Jehovæ.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 11.)

De pœna talionis dictum eſt prolixè in Pſal. 7, 15. & 9, 16.

Pœna talionis.

II. Opes injuſtè partæ tantùm accumulantur hoſti, non hæredi, Pſ. 39, 7. 1. Theſ. 4, 6. Eſa. 33. Prov. 11. & 20, 21. 1. Cor. 6, 8.

Opes injuſtè partæ.

Ex verſ. 12.)

Deus ſuos eripit.

Deus ſuos paucos electos (non abſolutè, ſed cum conditione) novit eripere, Pſ. 34, 20. & Pſ. 91, 15.

Ex verſ. 13)

Nemo prophetet, niſi juſſus & miſſus, ſupra c. 1, 1. Joël. 1, 1.

Ex verſ. 14.)

Deus eſt Zelotes.

DEUS eſt fortis Zelotes, viſitans iniquitatem, Exod. 20, 5. Inprimis verò Idololatrarum, qui fidem in ſpirituali conjugio non ſervant, ibid. v. 3. 4. Jer. 3. Ezech. 16. Oſ. 2.

Ex verſ. 15.)

Niſi Jehova ædificat domum, fruſtra laborant ædificantes, Pſal. 127, 1. & quia hodie magnus regnat luxus in ædificiis etiam privatorum. præcipuè quando ex uſuris aut impoſturis exſtruuntur, eadem fortuna expectanda fuit, quin & multis in locis Germaniæ ſubeunda jam & ubiq; metuenda.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Argumentum.

HActenus *omnes scelerum Propheta coarguit, & pœnis superventuris terruit. Nunc porrò primùm contra principes & consiliarios regni Israëlitici agit, quorum carpit rapacitatem & captivitatem denunciat: deinde totius populi Israëlitici idololatriam obstinatam reprehendit, quod corda eorum indurata multis omninò plagis molliri ac ad frugem reduci non potuerint, ostendit, ac tandem minis ac promissionibus ad pœnitentiam adhuc agendam hortatur sedulò. Osiander. Propheta optimatum, consiliariorum & principum epicureismum & vitam dissolutam perstringit.* Summa Capitis.

Partes *capitis* quatuor: *Exordium v. 1. Propositio judicij divini, v. 2, 3. Confirmatio v. 4 seqq. Conclusio, v. 12. 13.* ἀνάλυσις partes quatuor:

Exordium *attentos reddit auditores, cùm à reipsa, quæ proponitur, tùm à persona eorum, quibus, Describuntur hæ, ubi & quales sint; Prius figuratè: Posterius propriè, tribus notis v. 1.* I. Exordium.

Propositio *judicij illis denunciandi est bimembris: Aut enim certè occidemini, v. 2. aut in captivitatem nudi abducemini, v. 3.* II. Propositio.

Confirmatio duas rationes exponit, *quibus æquitas illius pœna probatur.* Prior est, *quia estis idololatræ pessimi & desperati. Probatur hoc tribus modis: Primùm adhortatione sarcastica, quâ jubetur id, quod* III. Confirmatio, habet duas rationes.

vitatur maximè: Secundò, μεριςμῷ insigni & enumeratione sacrificiorum, quæ suis offerunt idolis, nempè decimas, v. 4. sacrificia eucharistica & voluntaria: tertiò, Causa efficiente, quæ est pravus Israëlitarum animus, v. 5. Posterior *ratio, quia estis peccatores indurati, planè excæcati ac corrigi nescij: Probatur hoc, quia variis calamitatibus à DEO afflicti ad eum reverti noluistis: neq; fame, v. 6. neq; siccitate, unde orta sitis magna, tàm terræ, v. 7. quàm hominum, v. 8. neq; vi majore & cœli injuria, v. 9. neq; peste, neq; bello aut captivitate v. 11.*

IV. Conclusio.

Conclusio: *Ideò tibi facturus sum sic, ò Israël, referens se ad propositionem, quæ est v. 2. 3. Hinc velut ἐπίπτυγμα nascitur nova pro Dei φιλανθρωπία hortatio, quâ denuò ad resipiscentiam revocat, ut ita malum denunciatum effugiant, Dei irati faciem antevertant ac placent, v. 12. cujus majestas adumbratur tanquam causæ impellens, v. 13.*

Popularis hujus capitis divisio.

Populari ratione potest *hæc* concio ita dividi: *Pænitentiam suadet Propheta, ad quam multis & gravissimis rationibus exstimulat.* Partes *sunt* tres.

I. Peccata recenset, ut horum turpitudine agnita vitam emendent.

II. Pænes *commemorat, & quas propter sua scelera jam sunt sæpenumerò perpessi, & quas deinceps, nisi resipuerint, sint ex Dei decreto perpessuri.*

III. Dei naturam &, ut ita dicam, ingenium describit, qui possit ac velit parcere subjectis & debellare superbos,

perbos: illud pro sua clementia, hoc pro sua omnipotentia, quæ ex nonullis declaratur effectis.

PARS PRIMA.

Vers. 1.

In Exordio, quod ad attentionem comparandam adhibetur, hæc duo *præter generale ejus initium, supra c.* 3. 1. *declaratum,* notanda *sunt,* 1. *Quos alloquatur.* 2. *Cur vel quibus de causis, nimirum his duabus, sævitia & avaritia. Eos, quos alloquitur Amos pastor, pro suo more, duriter increpat, vocans eos,* vaccas Baschanis, *similitudine iterũ ex sua arte pastoritia petitâ, quam quomodo & de quibus velit intellectam in ἐπεξηγήσει subjectâ explicat, quod sint* in monte Samariæ, *i.e. in ipsa Israëlitarum metropoli & urbe regia, sup. c,* 3, 9. 1. *Reg.* 16, 24. *Hieronymus de primoribus regni Israël accipit: Hebræi mulieres nobiles ejus gentis, quarum prædicat captivitatem, sicut & Vatablus. Sa. ô qui genio indulgetis, & vitâ estis effœminati. Drusius. Notat divites ex pinguedinis metaphora, hinc intelliges, quid sit Psal.* 68. 16. *mons Dei mons Basan i.e. mons Sinai est pinguis, fertilis, laudatus, Symmachus vertit, αἱ βόες εὔτροφοι. Amos enim non in aulâ, sed caulà natus & educatus, magnificorum istorum titulorum, quibus aulæ perstrepunt, ignarus, pro suâ simplicitate scapham, quod ajunt, vocat scapham, q. d. vos regni primores, estis quidem in arce regia Samariæ, sed tantùm curatis cuticulam, neglectis interim omnibus officij vestri partibus. Ideoq; ut reverâ vaccis quæ in monte fertilissimo Baschane pascuntur, ut pinguefiant, estis similes, meritò etiam ita vocandi estis, licet putetis,*

Quos alloquatur & quomodo.

Primores regni vocat Vaccas.

vos communi hominum sorte exemptos. Quæ verò tandem est ista vestra, quâ adeo superbitis ac confiditis, prærogativa? Pinguedo. Ideoq; non pluris vos facio, quàm vaccas pingues, aut porcos saginatos, qui vultis haberi herôes & quasi semidei. Erat autem mons Baschan vicinus Gilead, pascuis optimis, datus dimidiæ Manassis tribui, Deut.3.13. Num.32,1. 4. 33. Jos 12,5. 6. & 13. 30. Esa. 2, 13. Zach 11, 2. Psal. 68, 16. Unde boves Baschan accipiuntur pro pinguibus, Psal. 22, 13. & oves ac hirci ejus pinguissimi esse perhibentur, Deut. 32, 14. Hinc jam facilè metaphora hæc potest explicari, quod hi primates non tantùm in luxu vaccis sint pares, verùm etiam pejores, cum hæ tantum, quantum fami sedandæ sufficit comedant, quantum siti restinguendæ satis est, bibant: ipsi verò strenuè helluentur, absq; fame vorent, absq; siti potent ultra saturitatem Esa. 5, 11. donec emicet præ pinguedine uterq; eorum oculus, Psal. 73, 7. non secus, ut inter vaccas reliquas eminent benè pastæ, Et deniq; velut hæ sunt refractariæ, ita etiam hi suo domino non auscultant, Hos. 4, 16. Atq; ita simul, quando vaccis viros comparat, notat mollitiem, effœminatosq; mores Neq; enim facile iverim in Hebræorum & Lyræ hanc sententiam; Hactenus reprehensos esse viros, nunc porrò taxari fœminas. Ut enim omittam, quod hæ non opprimant vel quassent tenues in judicio, genus verbi in textu hebræo reclamat; quod est שִׁמְעוּ *masculinum utiq; viris competens. Quod verò posteà sæpè etiam in fœminino genere loquitur Propheta, inde fit, quod postquam viros comparasset vaccis, modò ad has, modo ad eos, qui earum intelliguntur nomine, respiciat, Per vaccas Baschanis*

Mons Baschan.

Non hic reprehenduntur fœminæ.

scbanis intelligit divites & autoritate praeditos. Piscator. Hebraei interpretantur de uxoribus regum fortè quia sequitur לארוניהם *quod exponunt* רבעליהן *Rectius Corn. à Lap. de viris effaeminatis, lascivis & impudentibus exponit, & citat Psal. 67,31. Os. 10. 11.*

Si quis verò quaerat, cur non potius bobus, equis vel mulis hos assimulàrit: Probabiliter dixerim, hoc ideò fieri, quia ipsi erant vitulorum, in Dan & Bethel positorum, 1. Reg. 12, 28. cultores, quorum eorum majores erant factores. Confer etiam quae dicta Comm. in Hos. 10, 5. Praepotentes itaq; (ut tandem concludamus hunc locum) & divites voce vaccarum intelligit, quomodo & Chaldaeus interpres עתירי נכסיא *vertit rectissimè. Causae autem cur has vaccas ita ex Dei mandato alloquitur, sunt hae:* quae opprimitis tenues *per vim atque fraudes, quod propriè verbum* עשק *significat,* quae confringitis *ac conquassatis vestrâ potentiâ* egentes. *Vide h. l. D. Winckelm: & quae de verbo hebraeo utroq;* עשק *&* רצץ *dicta Comm. in Hos. cap. 5, 11. etiam ex Luc. 3, 14. quibus metaphoris, insignem violentiam cum rapacitate conjunctam denotat, quae & hinc liquet,* quia dicitis Dominis illorum, *hoc est, potentioribus, aliis vestri complicibus & compotoribus, qui sunt domini pauperum, ad mutua celebranda convivia vos exhortantes,* affer, bibamus, *imò potemus, ac suaviter ex pauperum spoliis epulemur, Psal. 14, 4, nempè hoc assiduè vobis in ore & corde: Edamus, bibamus, cras enim fortè moriemur, Esa. 22, 13. Sap. 2. 6. 1. Cor. 15. 32. Osiander.* Wolher/ sprachẽ die vollẽ Kühe/lasset uns trincken/ daß Unsers uns wachsen möchte/ *quomodo verbum* שתה *acci-*

Cur illos non aliis animalibus assimilet?

שָׁתָה

pitur. Gen. 43,34. *&* πίνειν *in N, T Matth* 9,11. *&* 11, 18. 19. *Luc.* 17. 28.

LOCI COMMUNES.

Ex versu. 1.)

Homines pejores bestiis.

I. Homines sceleribus dediti, similes; imò quandóq; pejores sunt ipsis brutis animalibus, Psal. 32,9. *&* 49, 13. 21. *supra c.*1,1. *L.C.*3. *Cavendum maximè magnatibus, ne abutantur suâ potentiâ ad egenorum oppressionem. Vaccarum enim & boum potius (si ipsis vox esset) vox hæc est, quàm principum, sic volo sic jubeo. & c. Sæpè tamen talia apud quosdam fiunt: & quidam centauri ac cyclopes putant se vivere ut bibant, non edere aut bibere, ut vivant Vide Osiandrum, ut de priori observatione etiam D. Winckelmannum.*

Luxuria reprehenditur.

II. Luxuria in cibo ac potu reprehenditur à Deo. Esa. 5, 11, *Rom.* 13, 12. 13. *Luc.* 21, 34. *Gal.* 5. 21. *Eph*, 5, 18, *cum belluonum Deus sit venter, Phil.* 3, 19.

III. Corn. à Lap. Idem dicunt, puta, afferte, ut bibamus &c. iniqui advocati & procuratores judicibus, Consiliarij, scabini & prætores principibus & magistratibus sæpè æquè impiis. Hi enim quasi harpyiæ inhiant bonis populi, in eaq; involantes illa inter se distribuunt, atq; ex iis opipara convivia instruunt.

Q. An liceat maledicere magistratui? Neg.

Quæri hic potest: An liceat maledicere magistratui? *cum hîc in eo constitutos probroso vaccarum nomine nuncupet & nominet Amos:* R. Negandum utrumq;: *Prius, quia Deus expressè vetuit, Exod.* 22, 28. *Act.* 23. 5. *Eccl.* 10, 20. *contrà eidem honorem exhiberi severè præcipit, Rom* 13,7. 1. *Pet.* 2,17. *Posterius, quia Amos non maledixit, cum scelera manifesta, aperte redargue-*

dargueret: hoc enim Deus suis mandavit ministris, Esa. 58, 1. Ezech. c. 3. & 33.1. Tim. 5. 20. & exempla Prophetarum, Johan. Baptistæ, Christi & Apostolorum probatissima idem testantur. A ministris itaq; in officio constitutis publico scelera in omnibus taxanda, servato tamen modo & moderatione debita: ab alijs verò privatis hominibus mores magistratus, non sunt seditiosè exagitandi, sed tolerandi, donec Deus eos correxerit.

PARS SECUNDA.

Vers. 2)

Iam porrò pœnas denunciat, in quibus notanda ipsa decreti formula per juramentum prolata: & res contenta, quæ sunt supplicia gravissima, quoniam cùm aculeis comparantur, ac posteritatem attingunt, ac tàm facilè à Deo inferenda, quàm facilè piscatur aquis piscem extrahit hamo. Juramentum præfigitur, ut sciant, Deum certò vindicaturum hanc ipsorum impietatem, nec esse, quod vana sibi fingant effugia. Cùm enim Deus consilij sui immutabilitatem esset ostensurus, nec haberet majorem per quem juraret, juravit per seipsum, Hebr. 6, 16. 17. 18. id est, ut Propheta hîc ait: Juravit Dominus Jehovi per sanctitatem suam, *quæ est Deus ipse, confer. Gen. 22. 16. Jer. 51, 14. Esa. 45, 23. quemadmodum jurat per dextram suam, ac roboris sui brachium Esa. 62, 8. per nomen suum maximum, Jer. 45. 26. per animam suam, infra c. 6, 8. Jurat autem* quod ecce super venturi sint vobis dies, *certò, & citò, (id quod præsens*

Deus jurat.

Super aliquem dies veniunt.

præsens pro paulò post futuro notat) dies vero caliginis & tenebrarum, id est, calamitatum maximarum, Joël. 2.2. *infra c.* 5. 18. & 20. *oppriment vos, quomodo hæc phrasis occurrit, Jerem.* 46, 21. *Luc.* 19, 43. *c.* 21, 34. 35. cum tollet vos, *scilicet hostis, Buxt. thes. pag.* 394. aculeis, *qui sunt similes sentibus seu spinis, (hebraicè* בְּצִנּוֹת *à singulari* צִנָּה *formâ syriacâ* צִנְּתָא *unde latinum sentis, inspice Comm. Drusij) quibus olim, cum nondum ferramentorum tàm frequens usus, perforabantur maxillæ seu capita piscium, unde factum ut etiam postea ferrei hami aculeati ob similitudinem, nomine spinæ apud Hebræos proferrentur, ut de synonymo hujus vocis patet, Job* 40, 21. *confer Ezech.* 29, 4 & posteritatem vestram, *id est, liberos, Dan.* 11, 4. hamis piscatoriis, *Habac.* 1, 15. *Jer.* 16, 16. *Quibus verbis sine dubio denotatur captivitas, sumptâ similitudine à piscatore, qui pisces capit & interficit, cùm aculeis & hamis eos ex aqua sustulit. Vos estis quidem velut vaccæ pingues, sed extrahemini ab hostibus velut pisciculi minuti nihil impediente vestrâ pinguedine aut fastu. Hæc est simplex, verborum proprietati, & scopo Prophetæ congrua sententia, quâ cognitâ de varijs aliorum interpretum explicationibus minùs laboramus. Danæus de catenis exblicat, quæ ex ferreis constant hamulis sentium similitudinem habentibus. Hieron. vulg. lat, Brentius exponunt de contis, quibus vaccæ mactatæ solent suspendi, quasi sit lanio futurus Salmanasser, qui capita avulsa hastis præfigat, & reliquum corpus frustillatim discindat, prout multis explicat Ribera, Cornel. à Lapide. Fortasse alludit ad morem militum, qui capita cæsorum in lanceis gestant*

gestant quasi in triumphum. Idem illorum verborum בְּסִירוֹת דּוּגָה *sextuplicem affert explicationem, & nil certi concludens incertiorem lectorem à se dimittit, quàm accepit.*

Vers. 3. Amplificatur illa calamitas à trepidatione, quæ tùm occupabit Israëlitas: neq; enim consilij neq; auxilij habebunt copiam, sed abjectis omnibus, etiam rebus clarissimis, nudi aufugient, & quâ data porta ruent. Nam vel per rupturas, *quas vel hostis, vel vos ipsi spe effugiendi facietis in muris exibitis*, mulier, *id est, unaquæq; sup. Joël, 2.7.8.9.* è regione sui, *confer Jos. 6, 5. heb.* נֶגְדָּהּ *quod ubi lat. vulgatus vertit contra alteram, pleriq; exponunt cum altera,* eine mit der andern/ neben der andern. *Vide Corn. à Lap. sed potius est* für sich hin *ut Lutherus vertit, & Vatablus, & ut in devastatione Hierosolymorum videre fuit, 2. Reg. 25, 4. & de hac eversione Samariæ lege 1. Reg. 17. Ut verò tantò expeditius fugiatis, omnes res preciosas, quas convasaveratis, dum parastis fugam,* abjicietis in ipsum vestrum palatium, dictum Jehovæ, *sup. c. 2, 16. Quam sententiam etiam quivis ex verbis hebræis facilè eliciet, cui vel prima Grammaticæ rectè cognita sunt initia, ut supervacaneum sit, operosè de aliorum commentationibus vel dicere, vel de refutandis cogitare, cum textum hebræum incorruptum statuamus, qui sic habet* וְהִשְׁלַכְתֶּנָה הַהַרְמוֹנָה נְאֻם יְהוָה. *De priori voce vide Buxtorf. th. pag. 134. De posteriori in epitome Rad. in dictione* אַרְמוֹן. *De* ה *locali Buxt. thes. pag. 438. 524. 525. 532, Non igitur est nomen proprium, non notatur mons Remmon, non Armenia, non Amanus, neq; est*

nomen à fine Heemanticum, uti videtur sentire Tremellius; repugnat enim accentus, & Calvino, qui vertit, projicietis vos ab excelso. Piscator melius trutinat singula, sed sensum tamen non assequitur: sic sentit, Verto, quæ illata fuerint in palatium, qui nominativus pluralis neutrius generis quò se referat, non video, ille tamen ita pergit. Primum ה *valet articulum τὰ ad quem subauditur verbum relatum* מוּבָאוֹת *id est, εἰσενηνεγμένα.* ה *secundum positum est pro* א*. nam literæ* אהוי *sunt inter se permutabiles.* ה *autem ultimum est locale, notans motum ad locum Credo tamen eum non procul ab hac mea explicatione abesse. Drusius, projicietis supellectilem palatij; quod non placet mihi ob accentum, & quod desit exemplum hujus significationis. Osiander existimat legendum* ההרמונה*, quod quomodo exponat, apud eum vide. Non assentior, & causas habeo multas nec leves. Corn. à Lapide dum multa verba hîc facit, nihil quod ad rem dicit, nec certi quid afferit: quod num sit probi Commentatoris, ipse viderit.*

LOCI COMMUNES

Vers. 2)

Juramentum in se non illicitum.

I. *Cum DEUS ipse juret, juramentum in se non erit malum, nec illicitum, quod statuunt Anabaptistæ, Chemn. p. 2 Loc. Com prae. 2. Hoc notat etiam Osiander, & D. Winckelman.*

Deus gladium acuit, punit juste.

II. *Si non convertitur improbus, gladium suum acuet Deus, arcum suum adduxit & sagittam aptavit ei, imò arma lethifera imposuit, quæ in eos, qui scelere fervent, immittit, Psal. 7; 13. 14.*

III. Pæ-

III. Pœnæ gravitas peccatorum atrocitati respondet in obstinatis, Apoc. 18. 11. 17.

IV. Deus est Zelotes, visitans iniquitatem &c. Exod. 20, 5, supra 3, 14. 3. loc. com. Aliàs filius bonus non portabit iniquitatem patris mali, Ezech. 18, 20. Est Zelotes.

Ex vers. 3. Vide sup. c. 2. 16. quibus adde, quod trepidationem ab hoste, ac captivitatem DEUS minitetur iis, qui ejus mandata nefariè violant, Deut. 28. 41. 45. 64. 68. Mali trepidant.

PARS TERTIA.

Vers. 4.)

Ut pœnam præcedentem justissimam esse Deus ostendat, idololatriam eorum gravissimam, & in eâ, alüsq; flagitiis animum prorsus obstinatum & induratum demonstrat, adeò ut nullis potuerint flecti vel molliri pœnis. Hanc ob causam etiam, ut indicet sibi cum desperatis maximam partem esse negocium, amarissimum in principio adhibet sarcasmum, quo cùm impietatem videtur præcipere, eandem quàm maximè aversatur & redarguit, ut constat cùm ex fine versus quinti, & locis scripturæ similibus, quæ vide Num. 22, 20. Esa. 29, 1. c. 8, 9. & 47, 12. Jud. 10, 14. 1. Reg. 18, 27, Ezech. 20, 39. Jerem. 2, 28, & 7, 21. Ecclef. 11, 9. & antithesin, seu potius correctionem in singulis locis ibidem additam expende. In specie verò cum hoc loco confer Ose. 4, 15. Infra. 5. 5. 21. 22. ac quid in eo seriò Deus velit, facilè tibi ipse eris interpres. Chaldæus & LXX. perspicuitatis ergò assertivè vertunt, & increpationem esse ostendunt. Cujus (ut Deus aliquando utitur sarcasmo

majoris evidentiæ causâ cum ὕστερον πρότερον exponamus) *ille est sensus*: dictum Domini Jehovi hoc est, *ex ira, quâ contra eos, qui ab illo desciscunt perfidè, ardet, profectum, siquidem mihi, meisq; Prophetis parère non vultis. O Israëlitæ, (id quod satis superq; ex hactenus frustra habitis concionibus constat) agite*, siquidem ita amatis *ac vultis, siquidem hæc magnopere vobis cordi sunt & unicè placent, quæ tot jam annos continuatis flagitia, agite verò complete iniquitatis vestræ mensuram, pereatis, cùm servari nolitis*, ita Bethelem, *quoniam vobis stat sententia, omninò vos ire perditum, & cum damno vestro maximo vos conferre Bethelem, ubi vitulorum alterum colitis & putatis, melius ibidem Deum coli, quàm Hierosolymis, quoniam ibi olim apparuerit Jacobo, Os. 12,4. & 5. Gen. 28,19. & 35,1.9. & seqq. Ite vestro malo & porrò à me Deo vestro* deficite, *qui inter vos sordet suo vitio, sordescat sua pertinacia magis, ut prorsus reddatur inexcusabilis, idq; fateri cogatur ipse, cùm jam pœna à me immissa eum deprehenderit, Apoc. 22.11. Ite etiam* Gilgalem; *ubi, quia fœdus circumcisionis renovàvit Josua, Josuæ c. 5,1. & 8. putatis stultissimi, majoris in illo loco hærere sanctimoniam, & quoniam ita etiam placet vobis, augete defectionem*, pergite *porrò* deficere, *ut omninò omnibus appareat, licet ibi olim vestrorum majorum præputium carnis sit abscissum, non tamen esse præcisum cordis vestri præputium, Deut. 10. vers. 16. Jerem. 4. vers. 4. Actor. 7. vers. 51. Confer etiam, Ose. 9,15. & 2,12. Osianders;* **Lieber verdienet die Straffe wol vnd rennet nur sporenstreichs der Hellen zu.** Afferte *etiam ex bonâ intentione vestra (scilicet) ad imitationem*

tationem veri cultus mei, Hierosolymis à me instituti, ô spirituales simiæ. Nam cùm ego legem tulissem ut unoquoq; manè agnus mihi offerretur Exod. 29, 38 39. *Num.* 28, 3. 4, *vos, ut plus præstitisse videamini,* unoquoq; manè *aliquot* vestra *offerte* sacrificia. *Et cum ego præcepissem majoribus vestris, ut per tres solennes ferias, paschatos, pentecostes & festi tabernaculorum, annis singulis coram me comparerent, & ne ulli comparerent vacui, Exod.* 23, 14. 15, 16. 17, *Lev.* 23. *Deut.* 16. *vos* istis tribus diebus festis anniversariis *offertis* decimas vestras *Gilgale, quas ad Levitarum, cultûs mei ministrorum ordinariorum sustentationem ordinaveram, atq; ita me debito fraudatis meo, & illos suis decimis, cùm hæc possessio sint eorum propria à me ipsis data Num.* 18 21. 24. *Mal.* 3, 10. *cùm nulla alia sit eis possessio, Deut.* 10, 9. & 4, 28 & 29. *sic exponit etiam Rupertus, Lyra, à Castro, à Lapide. Quem locum postremum & c.* 26. 11. *cum expendunt alij interpretes, & considerant Hebraismum notissimum, quo vox* ימים *sæpè pro annis in sacra scriptura usurpatur, Lev* 25, 29. *Gen.* 40, 19. 20. & 42, 17. 18. *Exod.* 13, 10. 1, *Sam.* 1. 3. 2. *Samuel.* 14, 26. *Joël.* 1, 2. *vide comm. in Jonam cap.* 31. *v.* 1. *L. C.* 4. *sub finem pag.* 114. *edit.* 2. *Piscator tamen aliam viam instat.* ל *valet post, & ante nomen* ימים *deficit nomen* שנות *cujus ellipseos exempla occurrunt Num.* 9. 22. 1. *Sam.* 27. 27, 7. *Annus autem dierum nominatur annus plenus, cujus scilicet dies omnes elapsi sunt, quo sensu alibi dicitur mensis dierum, pro pleno seu integro Gen.* 29, 14. *Num.* 11. 20. 21. *Respicitur his verbis ad legem Deut.* 14. 28. *Vide etiam Drusium, & adde locum ex Tobiæ libro c.* 1, 7. *Illi exponunt hæc*

Tres solennas feriæ.

ימים id est anni.

 verba

verba hebræa לִשְׁלשֶׁת יָמִים *tertio queq, anno exacto, ut ita legem à me præscriptam servare videamini. Utram verò ex hisce sententiis secutus fueris, scripturæ ductum sequëris, & si dicere licet sine cujusq, præjudicio hanc posteriorem rectiùs.*

Vers. 5.) Sed quia Deus plura adhuc sacrificiorum instituerat genere, inter quæ velpræcipua erant εὐχαριστικὰ *& voluntaria seu spontanea, porrò ostendit Propheta, quomodo etiam hæc Israëlitæ ex* κακοζηλία *imitentur in cultu suorum idolorum, dum inquit,* וְקַטֵּר & adolere, *ubi vel per enallagen temporum, hebrais familiarem, infinitivum pro finito imperativo. Buxtorf. in Th. p.* 465. *Vel per enallagen numeri, singularem pro plurali usurpavit, ut infrà cap.* 5, 23. *adolete ac incendite* eucharisticum; *Hebraicè* תּוֹדָה *id est laudem, sacrificium, quo Dei laudes prædicatis & gratiarum actionem vestram exsolvitis, & ut iterum aliquid de vestro addatis,* de fermentato, *quod ego lege expressâ fieri vetui, Lev.* 2, 11. *Nam quod alij existimant, licuisse id lege ea fieri, quæ extat Lev.* 7, 13. *non videntur illi satis utrumq, expendisse locum: cùm ibi offerri saltem panem fermentatum Deus permittat: Illo autem & hoc loco adoleri & incendi prohibeat, id quod vel sola verba hebræa* קַטֵּר. הִקְרִיב. *diversa evincunt. Et quod alij citant, Lev.* 22, 29. *Quum sacrificabitis sacrificium laudis Jehovæ, pro voluntate vestrâ sacrificate; velim eos considerare, non simpliciter hoc accipiendum, sed respectu temporis & materiæ convenientis intelligendum esse, ut sit sensus, quando & quæcunq, vultis ex aptis ad hoc sacrificium generibus, sicut lege cautum est, Vide cap.* 3, *Piscator.*

תּוֹדָה i.e. sacrificium laudis.

Levit. 7. 13.

Levit. 22. 29.

Hanc

Hanc versionem res ipsa respuit : sacrificia enim eucharistica non adolebantur, sed suffimenta. Verùm ipse errat, sui oblitus, qui dixit, esse ironiam sanctam, ideoq; id videtur permitti, quod est prohibitum. Sequitur in Propheta: Ne quid, O Israëlitæ, desit huic vestro apparatui, etiam indicite sacrificia spontanea, imò inclamate & proclamate, *ut à multis offerantur vestris idolis, sicut ego offerri mihi volui, Lev 2. & 7. 6. Ita omninò in cœpta idololatriâ strenuè pergite,* siquidem ita amatis, *& ita vobis placet, quos non meus bonus, sed vester malus agit & transversos abripit spiritus,* dictum Domini Jehovi, *qui quomodo & ubi velit coli, in lege præscripsit, quam vos hoc vestro cultu violatis, & his vestris ἐθελοθρησκείαις tantum abest, ut delectetur, ut quàm maximè iis offendatur, id quod vel ex pœnis sæpè antehac vobis inflictis colligere licet.*

Vers. 6. Hactenus enim aliquoties, c 2. & 3. ostensum est, quomodo nihil profecerit Deus beneficiis : Nunc verò declarat, quomodo etiam nihil potuerit efficere pœnis, quas tamen non ad perniciem, sed salutem immiserit, quò respicit emphatica illa, singulis pœnis subjecta epistrophe : Nec tamen reversi estis usq; ad me : dictum Jehovæ. Hæc enim supplicia omnia inobedientibus olim non minus erat Deus comminatus, quàm amplissimas promissiones voci ipsius auscultantibus fecerat. Levit, 26, Deut. 28. & 29 1. Reg. 8, ut quum ipsis hæ maledictiones obvenirent, in se descendentes, Luc. 15,17. reverterentur ad Jehovam DEUM suum Deut. 30, 1 2. 3. Nam I (ut ad Prophetæ nostri, imò Dei ipsius & per eum loquentis verba redeam) sicut vos meum templum decimis & sacrificiis vacuum & purum

Israëlitæ pœnis non sunt correcti.

1 Nec fame.

purum reddidistis, & quantum in vobis, fecistis ut venter, gutturq́ miserorum Levitarum residerent esuriales ferias: ita etiam ego dedi vobis innocentiam *& munditiem* dentium in omnibus civitatibus vestris, *ne pani (quippè qui nullus erat vobis) nocerent quippiam, aut eo quasi impurarentur fecit ut vos qui comedebatis & potabatis ad luxum, velut vaccæ Baschanis v. 1. aliquantulum ab isto labore quiescceretis,* Ich hab euch reine Zeene gemacht/daß euch nichts darin besleckē blieben. *quomodo Deus summam cibi penuriam describit, ut constat vel ex sequenti epexegesi, quando addit,* & defectum panis in omnibus locis ac habitationibus vestris: *ut non opus sit multis contra Riberam agere, qui per vocem* נִקְיוֹן *omninò uult intelligi stuporem, ut autoritatem vulgatæ versionis tueatur. Illa nostra expositio optimè congruit historiæ sacræ, cum meminit famis sub Elia inter Israëlitas grassantis,* 1. *Reg.* 17. *& sub Elisæo,* 2. *Reg.* 6, 25. *& c.* 8, 1. *Et stupor dentium non tam ex fame, quàm comestione rerum crudarum vel acerbarum oriri solet, quod etiam Chaldæo interpreti reponendum. Sed licet ita graviter sitis pressi fame,* non tamen estis conversi usque ad me, dictum Jehovæ. *Quamvis enim aliquando redieritis ad me, non tamen usq́ ad me* עָדַי *vide Joël.* 2, 12. *quia resipiscentia vestra fuit ficta, non verò ex toto animo aut corde, quod ego requiro, vide Joël.* 2, 13. *non estis reversi ad me percussorem vestrum Esa.* 9, 12. 13. *sed contra, quò percutimini amplius, augetis apostasiam, Esa.* 1, 5. *ut merito de vobis dicam. In vanum percussi vos, & emendationem non accipitis, Jer.* 2, 30. 31.

Vers,

Vers.7. *II. Nam præter hanc famem etiam siccitatem ac sitim immisi: quia enim vos estis fontes, aqua pietatis carentes,* 2. *Pet.* 2. 17. etiam ego a vobis cohibui imbrem, *sicut prædixi fore, si voci meæ non auscultaretis, Deut.* 28, 23. 24. *& quidem eo tempore, quo & naturæ ordine pluvia solet cadere, & quo eâ maximè arva indigebant, tam ad semina in terram projecta humectanda, quàm ad terram ipsam aperiendam, vide Joël.* 2, 23. quum adhuc tres menses superessent ad messem לְקָצִיר, ל *pro* עַד, *& quibus integris durare tantam siccitatem segetes non poterant, sed perire eas ac marcescere omninò necesse erat.* *Et ne pro vestra malitia etiam tùm diceretis, casu hæc ita accidere, supra cap.* 3, 4. 5. *vel funesto astrorum influxu prohibitos esse imbres, videte miraculum, quod à casu esse non poterat.* Nam demisi pluviam super civitatem unam, super civitatem verò alteram non demisi pluviam. *Et ne locorum objiciatis spacia, agite, unde hoc factum est, ut* una agri *ejusdem* portiò *sit* compluta, & altera portio, super quam non pluit (*scilicet nubes* הֶעָב *nomen etiam in fœminino genere usurpatum,* 1 *Reg.* 18. 44. *quò verbum hebræum in textu fœmininum, videlicet* תַּמְטִיר *respicit: Buxt. in th. p.* 394.) exaruerit.

2. Nec siccitate neque siti,

Vers. 8. *Agite causam hujus diversi effectus edisserite, si potestis aliam afferre, quam manum Jehovæ, qui hoc siccitatis malo vos afflixit, tàm graviter & tàm mirabiliter, ut propter imbris inopiam & homines & terram magna sitis afflixerit.* Ita *enim siccitate tres menses aut amplius durante,* duæ tres (*ve*) civitates evagabantur ad civitatem unam, ut biberent aquas, neq; *tamen*

men saturabantur. *Et licet hoc modo etiam affligeremini,* tamen non estis reversi usq; ad me; dictum Jehovæ, *v,6. suprà. Et ut hujus calamitatis magnitudinem tanto melius intelligamus, operæ precium est annotare, quod scribit Hieronymus, cui illius regionis natura optimè erat cognita, videlicet omnes fermè aquas ibi esse cisternarum, & pluvias, cum patulos saltem habeat ista terra fontes, & nullos ferè præter Jordanem amnes.*

3. Neque uredine, neque rubigine.

Vers. 6. *III. Cùm neq; sic proficiebam quicquam in vobis corrigendis,* percussi *etiam* vos uredine, *vitio frugum à nimiâ siccitate proveniente,* & rubigine, *ex humore immodico contracto vitio, quia vos frugibus à me donatis ad luxum abuti solebatis. In ipso itaq; flore sunt absumptæ* augentibus hortis vestris, *& tàm iis, quæ ad necessitatem, quàm iis, quæ ad voluptatem aliàs sunt vobis concessa terræ bona, estis privati : Nam augentibus* vineis vestris, & ficubus vestris & oleis vestris, *hos fructus omnes* consumpsit eruca, *Joël,* 1,2. 6.2. 22. 25. Nec tamen estis reversi ad me: dictum Jehovæ.

4. Neque peste.

Vers. 10. IV. Misi in vos pestem *gravissimam* pro ratione Æpypti, *quâ desubito moriebantur animalia & homines, Exod.* 12, 29. *vulg. in via Ægypti, quam multi putant fuisse stratam & celebrem. Vide Corn. à Lap. cum tamen impropriè accipiatur hoc vocabulum, unde Lutherus noster eleganter vertit,* gleich er weiß wie in Egypten/ *&* בְּדֶרֶךְ *est pro* כְּדֶרֶךְ *ut Esa.* 10,25.26.

5. Neque bello, neque captivitate.

V. Bello & captivitate vos afflixi. Nam interfeci gladio juvenes vestros electos, adjuncta captivitate equorum vestrorum, *ne penitus fracti tenteris*

surgere

surgere terrâ rursus, & antiquas arvis reparare ruinas, & hæc omnia contigisse vobis videntibus ac præsentibus, quippe cùm feci,ut ascenderet fœtor castrorum vestrorum etiam in nasum vestrum, Joël. 2, 20. *Esa.* 34,3. Nec tamen estis reversi usq; ad me, *vel tantâ acceptâ plagâ,* dictum Jehovæ.

Vers. 11. *VI, Deniq, ne quicquam intentatum relinquerem, quod ad corrigendos malos posset conducere, etiam hoc genus supplicii adhibui* ; Subverti ex vobis *quasdam urbes valdè horribiliter, constituiq́ ut essent exẽplum reliquis impiè viventibus,* prout subvertit *olim* Deus Sodomam & Gomorram, 2. *Petr.* 2, 6. adeò ut fueritis superstites *similes* torri erepto ex incendio, *vix ex igne calamitatis servati & adhuc horridi, Zach.* 3,1, nec tamen estis reversi &c. *O prorsus obstinati! Si jam quæris, quomodo illud sit intelligendum de subversione, cùm nusquam in bibliis civitates alias igne cœlitus demisso periisse legamus, sicut de Sodoma vicinisq, urbibus constat, Gen.* 19, 24. 25. *scias per speciem genus intelligi, extremam scilicet vastitatem, Esa.* 1,9. *Quomodo etiam Babylon destruenda dicitur,* 13, 19. *quam tamen igne cœlitus demisso consumptam non legimus. Confer h. l, historias, quæ de scribuntur ,* 2. *Reg.* 13, 3. *&* 14 26. *Observat Eusebius lib.* 5. *præpar. Evangel. c.* 23. *patrem hîc loqui, & de filio dicere, quod Deus genitus subverterit Sodomam, sicut in ipsa historia legere est Gen.* 19, 24. *Jehova, genitus puta , pluit à Jehova nempe ingenito. Vide etiam Socratem lib.* 2. *hist, Eccl. l. c.* 30. *Inspice h. l. & in Gen, Corn. à Lapide.*

6. neque horrenda urbium subversione.

Quæstio

Resp.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 4.)

Ἐθελοθρησκεία.

I. *Ἐθελοθρησκεῖαι iterum graviter damnantur, ut ſup. c. 2, 4. Jer. 7, 22. Coloſſ. 2, 23. Eſa. 59, 4. Zach 7, 4. Nec Deus ullum cultum divinum probat, niſi à ſe in ſuo verbo præſcriptum, quod ſanctificat omnia, Johan. 17, 17. Num. 15, 39. Ezech. 20, 19. Et in ſpecie de ſacrificiis in V. T. offerendis extat præceptum, Deut. 12, 5. 6. 7.*

Per ſe nulla eſt in locis ſanctitas.

II. *Per ſe in locis nulla hæret ſanctitas, ſed ratione apparitionis Dei in illis factæ tùm temporis, quando illa vigebat, ſancta dicuntur, Exod. 3, 5. Joſ. 5, 15. ceſſante autem apparitione Dei, ceſſabat etiam ſanctitas loci, quod eſt contra Pontificios notandum, qui aſſerunt contrarium, ut peregrinationem ad defunctos, ſuo clero lucroſam, tueri queant. Vide Bellarm. l. 3. de cultu ſanct. cap. 8. Cujus argumentis facilè ſatisfeceris, ſi obſerves: 1. Non eſſe vel præſentiam Dei, vel ſanctitatem ob illam præſentiam confundendam cùm memoria hujus præſentiæ, quorum hæc præcipitur; Illa verò non promittitur. 2. Adorationem in N. T. nulli loco eſſe alligatam, cùm diſcrimen locorum, ad orationem peculiariter deſtinatorum, hîc ſublatum ſit, Joh. 4, 23. 1. Tim. 2, 8.*

III. *Vide malitiam hominum idololatriæ deditorum, qui longinquas peregrinationes ſuſcipiunt, quum interim ad verum Dei cultum vix domo egrediantur & ipſi & alij.*

Ex verſ. 5.)

Obſtinatos Deus ire ſinit.

Obſtinatos tandem in ſuis viis ire permittit Deus, Actor. 14, 16. & 17, 30. Nam quando populus non auſcultat

tat voci Jehovæ, nec acquiescit illi, dimittit eum ambulaturum ex sententia animi sui, dicens: Abeat cum pravis consiliis suis, Ps. 81, 13. Contrà omnes peccatores dociles & mansuetos docet viam suam, & facit ut rectè incedant, Ps. 25, 8. 9.

Ex vers. 6.)

Fames est pœna.

I. Famem Deus legis suæ transgressoribus minatur, Lev. 26, 26. Deut. 28. 51. Esa. 3, 1. ac immittit, Ps. 105, 16. Ezech. 4, 16. & c. 5, 17.

Finis calamitatũ.

II. Finis calamitatum est, ut nos ad pænitentiam adigant, Ps. 83 17. & 94, 12 & 119, 71, Job. 5, 17. & 11, 11, 12. & 36, 9. Hos. 2, 6. 7. Job. 33, 17, 18.

Ex vers. 7.)

Deus tẽpestatis commodæ autor.

Tempestas commoda à Deo datur, non verò ab astris provenit principaliter, nisi cùm ille vult. Ille dat cælitus pluvias ad præstituta tempora fructibus proferendis, Act. 14, 17. Ille dat nivem, Ps. 147. 16. obtegit cælos densis nubibus & comparat terræ pluviam, ib, v. 8. 9. & Ps. 104, 13. 14. Joël. 2. 23. infrà c. 5, 9. ob peccata verò sæpè pluviam terræ subtrahit, 1. Reg. 8. 35. & 17, 1.

Ex vers. 8.)

Indurati.

Indurati à Deo reprehensi vel castigati longius ab eo recedunt: Vide Cainum, Gen. 4, 16. Saulem, 1. Sam, 15, 16. Judam, 13, 27.

Ex versu. 9.)

Calamitas terræ.

Deus calamitatem terrâ nascentibus infert, vide Joël, 1, 3. 10. 11. 12. & 2, 22.

Ex vers. 10.)

Bellum à Deo.

I. Bellum à Deo immittitur inobedientibus, Joël. 2. 7.

9. *Lev.* 26, 25 *Deut.*28,25. *Jud.* 2, 13. *c.*3, 1. 8. *c.* 4. 1. 6, 1. *c.* 10. 6. *c.* 13. 1.

II. Quia multi de improviso mortis terroribus obruti de resipiscentia non cogitant, nec in fide confirmantur, orandus est Deus, ut ab illa improvisa morte nos præservat, & sæpe horribile iræ Dei præbet indicium, Osiander,

Ex verſ. 11.)

Deus urbes protegit & evertit.

Quemadmodum Deus urbium protector est, quamdiu cives earum piè vivunt, 2. *Reg.* 19, 34. & 20. 6. *Pſ.* 127, 1, *ita earundem, cum in eis regnat impietas, eversor est, Pſ.* 89, 41. 42. *Job.* 9, 5. *Jer.* 20, 16. *Matth.* 22, 7.

PARS QUARTA.

Verſ. 12.)

Idcirco ait Jehova, *quia nullis plagis adducti estis ad pœnitentiam, nec cùm ego dicerem, revertimini filij aversantes, curabo aversiones vestras, audita est vox vestra: Ecce nos accedimus ad te, quia tu es Jehova Deus noster, Jer.* 3, 17. *quia vix spes frugi in te restat*, ſic faciam tibi *porrò, ut feci hactenus, & me per prophetas facturum dixi*, ô Iſraël. *Sed quæ mea est* φιλανθρωπία, *nolim te ita miserè perire.* Propterea ergò, quod hoc facturus ſum tibi *certissimè, etiam atq; etiam te moneo & hortor, ut saluti tuæ consulas. Quomodo verò possum, inquis?* Præparare *à S.S. gratiosè per verbum à prophetis prædicatum operanti, cùm ipse te ad gratiam præparare nequeas, id quod verbum passivum* הִכּוֹן *præter suam emphasin, quæ est, (stabiliri confirmari, firmari de qua Pſal.* 7, 10. & *Pſal.* 9, 8.) *hoc loco notat, paratus, confirma-*

Dei benignitas.

firmatus ab illo adsis in occursum Dei tui *patris cœlestis, occurrentis tibi, Luc.* 15, 20. O Israël, *fili dilectissime, Jer.* 31, 20.

Vers. 13. *Quod si hîc amor meus & benignitas summa te non movet, commoveat saltem mea majestas maxima, ut quod tibi do consilij, imò quod pro meo jure impero, exsequaris: & quia magna tua est stupiditas, insignibus effectibus tibi eam declarabo, si fortè eam, ita uti decet, meditari incipias* (1. *Tim*. 1. 17, *Job.* 9; & 38. *Amos. cap.* 5. 8. *cap.* 9, 6. *Jer.* 10.) *Eorum prius est creatio, quæ omnipotentiam demonstrat.* Ecce ego formans montes, *ego eos in rudi terræ massa ad universi decorem finxi, Psal,* 104, 8 *Gen.* 7, 19. *Posterius rerum creatarum sapientissima administratio quæ omniscientiam Dei probat, quæ in rebus naturalibus, vel est ordinaria, ut mirabilis venti productio, aut extra ordinaria veluti tenebrarum miraculosa introductio tempore auroræ seu diei: vel in rebus spiritualibus supernaturalis & gratiosa, occupata in religione verâ propagandâ dum homini indicat, quæ sit sua, Dei videlicet meditatio; falsâ autem abolenda, dum proculcat excelsa terræ, in quibus colebantur idola.* *Ego enim sum* ille creator venti *Job.* 28, 9. *Job.* 3, 8. *qui unde veniat nescis h. l. a. per* רוּחַ *intelligi ventum patet ex sequentibus ei junctis, non anima humana, multò minus Sp. S. intelligi potest, h. loco. Vide Corn à Lap Ego sum ille,* qui indicat homini *sua arcana, &* quæ sit sua *de genere humano* meditatio, *Ps.* 147, 19. 20. *Mich.* 6, 8. *supr. cap.* 3, 7. (*hebraicè* מַה־שֵּׂחוֹ *quod olim more suo* LXX. *legère perperam* מְשִׁיחוֹ *quando vertunt,* τὸ χριστὸν αὐτοῦ, & *pro* הָרָעֵם חֳרָבִים, *reddunt*

Et majestas.

Probatur ex rerum creatione & administratione.

reddunt enim βεσνγλὼ. *vide. Druſ. imò prolixiùs de his diſſerit Corn. à Lap. pag* 308. *a. b. quam alias ſcire nemo poterat*, 1. *Cor.* 2. 17. *Johan.* 1, 18. *Ego ſum ille, qui aliquando tenebras induco inſolitas*, efficiens auroram, *qua diem ordinariè reducit*, caliginem, *hoc eſt, maximè obſcuram* (*hebr. abſtr. pro concreto*) *Exod.* 10, 22. *Matth.* 27, 45. *infrà c.* 5, 8. *Ego ſum deniq;* qui excelſa terræ, *in quibus Diis alienis idololatræ ſacrificabant*, *Lev.* 26, 30. *Num.* 33, 52 proculco, *& meam gloriam adſero. Vide Pſal.* 115, 1. 4. *& his è medio ſublatis, & illorum deletâ memoriâ : quomodo phraſis hæc uſurpatur de hominibus Deut.* 32, 13. *&* 33. 29. *Alij quidem aliter pleraq; hujus verſus membra interpretantur : ſed hæc explicatio verborum proprietati, ſcopo Prophetæ & analogiæ fidei quàm maximè videtur congruere, in quo illud vel inprimis notandum, quod per Benoni non ſemper intelligatur ipſe actus præſens, ſed & ille, qui præteriit, quomodo rectiſſimè & hunc & ſimiles locos, quales ſunt præter alios plures, infrà cap.* 9, 6. *Zach.* 12, 1. *interpretaberis. Non enim adhuc Deus format montes, nec ſemper auroram reddit obſcuram, neq; usq; excelſa terræ ipſo actu præſenti proculcat, ſed eſt is : qui hæc poteſt præſtare, cùm vult, nempè* Jehova, *cui* Deus exercituum eſt nomen *majeſtatis & poteſtatis pleniſſimum. Quæ cùm ita ſint, Tu ô creatura Dei, colas tuum creatorem omnipotentem, ſuſpicias omnium rerum gubernatorem ſapientem, venereris ſalvatorem tuum clementem, metuas caſtigatorem hominum ſeverum, reverere idololatriæ oſorem maximum, & timeto ex toto animo Deum illum verum, omnium rerum imperatorem fortiſſimum, hoc eſt, feriâ reſipiſcentiâ*

Benoni ſignificat habitum.

ſcentiâ à peccatis te averte, & ad eum te converte, ut ita pœnas, quas & hactenus experta es, & quas deinceps expertura eras, poſthac caveas, evites, effugias.

LOCI COMMUNES

Ex verſ. 12.)

I. Peccata ex ſuâ juſtitiâ punire neceſſe habet Deus, Exod. 26, 5. *c.* 34, 7. *Pſ.* 9. 9. & 11, 5. 7. Deus punit peccata.

II. Unus modus evitandi mali, ſeria reſipiſcentia, Eſa. 1, 16. 17. & *c.* 19. 22.

III. Flagellis conſolationem adjungit Spiritus S. in propheticis ut oſtendat, Deum per illa etiam noſtram quærere ſalutem Eſa. 26, 16, & 54, 7. 8. *Hieronymus. Mos eſt ſcripturarum adverſis læta ſubjungere, & poſtquam triſtia Deus eſt comminatus, ad pœnitentiam eos, quos terruit, provocat, vide infra c.* 5. *v.* 2. 3. 4. & *ſeqq.* Placatur reſipiſcentiâ.

IV. Parat ſe rectè in Dei Patris occurſum, qui Chriſtum fidei ulnis acceptum offert Patri, Luc. 2, 28, 29. *per quem ſolum patet nobis ad Deum acceſſus, Eph.* 2, 18. *Confer exemplum Themiſtoclis, de quo apud Thucyd. l.* 1. & *typum Benjaminis, Gen.* 42. 15. 20. *Vide Rom.* 8, 34.

Ex verſu. 13.)

I. Quia Deus omnium rerum creator & gubernator, ei confidamus. Eſa, 43. 1. 2. & 51, 12. *Quod autem venti oſtendant Dei magnificentiam, patet ex his locis Pſal.* 18, 11. *Job,* 28, 25. *Jer,* 10, 12. *Pſal,* 148, 8. *Senec. lib,* 5. *nat. quæſt. cap,* 18. Deo confidamus, eum agnoſcamus.

II. Quia nobis revelat ſuam voluntatem, eam diſcamus, Eph. 5, 17. Gratias agamus.

III. Quia tenebras poteſt inducere, agamus ipſi

pro luce gratias, tàm naturali, Gen. 1, 4. quàm supernaturali, 2. Cor. 4, 4. 5. & potissimum in hac ambulemus, Joh. 12, 35. Rom. 13. 12. 13.

Colamus

IV. Quia proculcat excelsa terræ, vitemus idololatriam. Exode 20, 1. deponamus superbiam, 1. Pet. 5, 5. 6. Jac. 4, 6. 10.

Prudentius in Psychomachia:

Desine grande loqui frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur,
Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.

Sub eo militemus.

V. Quia Deus est Dominus exercituum, sub ipsius vexillo militemus bonam militiam, 2. Tim. 4, 7. 8. & caveamus, ne tàm fortem imperatorem reddamus nobis inimicum nostris sceleribus, Sap. 16. & 17. Joël. 1, 4.

CAPUT QUINTUM.

Argumentum

Capitis 5. & 6.

Cap. 5. & 6. Summa.

Quarta Prophetæ Amos concio quinto & sexto capitibus continetur, ejusq; argumentum ac summa est hæc: Israëlitis pœnam, quam erant meriti, nec tamen sibi instare putabant, denunciat, nempè excidium regni: ad resipiscentiam, quâ hoc possint effugere sedulò hortatur, exaggerans & pœnas superventuras, si in suâ impietate perseveraverint in superbia, inhumanitate ac luxu, & bonitatem ac maje-

statem Dei ipsis benefacturi exponens, si ad eum se converterint, non quidem fictâ aut hypocriticâ pœnitentiâ, externo tantum cultu sacrificiorum & cantus declarata, quam Deus odit, sed vera ac seria, quæ est odisse malum ac amare bonum, quam quia hunc populum pro suâ duritia non acturum prævidebat, juramento interposito, pœnam sæpius jam frustrà prædictam eos oppressuram prænunciat, quæ erit valdè gravis, & planè inevitabilis.

Scopus itaq; prophetæ est, revocare Israelitas ad pœnitentiam. Hunc suum finem ut obtineat, excidium denunciat, aliasq; calamitates, ut iis terreantur ac evitare studeant: scelera quibus eas promeruerunt, exponit, ut ea deinceps fugiant. Subinde verò eadem repetit, cùm propter pios, qui urgendi erant, ne sui seculi exemplo adduci se paterentur, tùm propter obstinatos impios, quibus sic omnis ignorantiæ præscinditur excusatio. Scopus.

Partes concionis *hujus principales constitui pos, sunt* quatuor: *Exordium c. 5. 1. Propositio vers. 2. seq. Confirmatio v. 18. seqq. & septem prioribus c. 6. vers. Conclusio, ib. ve 8.* ἀνάλυσις Partes sunt 4.

Exordium *attentos reddit auditores, dum significat, I. quid sit audiendum; in genere, hoc verbum, quod profert propheta Amos: In specie verò id dupliciter circumscribitur, prius quod sit contra Israelitas: posterius, & quidem lamentum.* I. Exordium.

II. A quibus sit audiendum, nempe Israelitis, v. 1

Propositio *judicij divini est: Regnum Israelis planè corruet, exposita primùm figuratè, adjecta etiam ἑρμηνείᾳ, v. 2. deinde propriè, ubi etiam modi declara-* I. Propositio.

tio, videlicet bellis attritum, & suis incolis ferè spoliatum, v. 5 Cum verò Dei minæ sint sub conditione resipiscentiæ intelligendæ, ea (conditio) hic per digressionem latiùs enarratur, dum instituitur hortatio ad pœnitentiam, quæ ex illa conditione oritur, nempe, Corruet ô Israël tuum regnum, nisi resipueris: tu igitur, ne corruat, resipisce. Hoc pœnitentiæ documentum proponitur per thesin hanc. *Quære & placato Deum, v. 4. & per ἄρσιν hanc: Non vero idola, quippè quæ nec sibi, nec aliis in die mali prodesse possunt, v. 5.* Amplificatur illa exhortatio ex persona Dei, qui; & Israëlitarum, à quibus quæri debet. *Ille enim est ignis consumens omnibus impœnitentibus, v. 6. creator & gubernator omnium rerum potentissimus, tàm quæ sunt & fiunt in cœlo, quàm quæ contingunt in terra inter homines, v. 9. ex quibus facilè licet colligere: Ergò hic quærendus, &, cùm iratus est, placandus. Hi verò sunt injusti, v. 7. refractarij, v. 10. violenti ac rapaces, v 11, crudeles δωροφάγοι, v. 12. Ideoq, nisi maturè Deum quæsierint, pœnâ gravissimâ afficiendi, v. 11. & proinde ab his est Deus quærendus, antequam tempus mali advenerit, quo sapiens hæc mala ventura prædicens, silebit v. 13. posteà ob populi contumaciam.* Hæc ipsa exhortatio denuo repetitur, ἐξεργασίᾳ duplici ornata, novisq; argumentis, petitis *tum à promissione omnis prosperitatis, præsentiæ ac gratiæ Dei facta pœnitentibus, v 14. 15. tùm minis impœnitentes manentibus, ubi propositionis principalis per consequentem luctum indicata repetitio & conclusio, vers. 16. 17. Deus itaq, & omne bonum est amandum, quia inde oritur vita beata; malum verò fugiendum, quia luctum efficit.*

Cui adjuncta hortatio ad Pœnitentiam.

Quæ etiã amplificatur, à persona Dei.

& Israëlitarum.

& repetitur.

Con-

Confirmatiò *causas exponit tàm gravis judicij videlicet peccata atrocissima, quorum potissimum tria recensentur genera: contemptus prædictionum Dei, idololatria ac vitaperdita, tribus inclusa enthymematibus, quorum* primum : *Vos comtemnitis ac ludificamini Dei prædictiones. E. magnis affligemini calamitatibus, v. 18, Consequens ornatur parabolicè, v. 19. ac Rhetoricè, v. 20.* Secundum : *Contaminastis vos idololatriâ pessimâ, v. 21. E. puniendi estis exilio ac regni excidio, v. 28. Antecedens probatur* primùm *à consequente, quia omnes vestros cultus Deus odit, festos dies, v. 21. sacrificia, v. 22. cantus vocali & instrumentali musicâ decantatos v. 23,* Deindè *à contrario: quia Deus amat jus, & eorum qui hoc colunt, sacrificia habet accepta, non igitur vest. a injustorum v. 24.* Deniq; *ex facto ipso, cùm majorum, qui vix ulla Deo suo in deserto per annos quadraginta rite obtulerunt sacrificia, v. 25. sed suis potius idolis: tùm, posterorum, qui jam vivitis, siquidem patrum insistentes vestigiis vobis etiam fecistis Deunculos, v. 26. atque ita contra primum decalogi præceptum in Deum vestrum peccastis nefariè.* Tertium *Enthymema: Tertium genus peccatorum est contra secundam decalogi tabulam, perdita scilicet vita, quæ non tantùm in regno Israëlis idololatrico, sed & in regno Judæ viget, ubi verus Dei cultus ex parte obtinet. Constat hæc particula Enthymemate tali: Israëlitæ & Judæi vivunt pessimè, v. 1. seqq. Ergò migrabunt ex suâ terra, v. 7. Antecedens probatur, dum quatuor in specie peccata ipsis vertuntur crimini, I. præsidens fastus, qui amplificatur à personis, siquidem in illis hominibus, qui majoribus à Deo affecti sunt beneficiis*

III. Confirmatio, habet tria Enthymemata juxta tria peccatorum genera.

1.

2.

(Cap. 6.)

3.

ficiis, quàm ullæ gentes c. 6, 1. 2. II. Injustitia ac violentia, v. 3. III. Luxus immoderatissimus in conviviis, ille cernitur in lectis ac cibo, v. 4. musica, v. 5. potu ac ungvento, v. 6. IV. Immisericordia, ibid. Atq; ita tota pars tertia breviter concludi potest hoc Enthymemate: Israëlitæ sunt ludificatores Dei, idololatræ & improbissimi: Ergò exilio puniendi, aliisq; gravibus calamitatibus afficiendi.

IV. Conclusio Judicium Dei erit certissimum, gravissimum. Conclusio *hæc (quæ quartam hujus concionis constituit partem) præterquam, quod jam ter sit inculcata ob populi duritiem, porrò latiùs exponitur tripliciter, quod videlicet futurum sit hoc judicium* primò *certissimum, ob DEI juramentum & odium, quo idololatriam istam prosequitur, vers. 8. Deindè, gravissimum, id quod probatur ex mali subjecto, siquidem ferè omnes eo sunt delendi, vers. 9. ex adjuncto, unde futurum, ut nec vespillonum possit fieri copia, qui curent mortuos ex more gentis, vers. 10. Ex persona infligentis DEI, ejusq; studio in perdendo, vers. 11. Tandem, omninò inevitabile.*

inevitabile. *quod ostenditur dupliciter,* priùs *comparatè per parabolam geminam: Ut enim nullo modo potest fieri in rupe inaccessa cursus aut aratio: Ita non potest fieri ut hominum injustissimorum regnum subsistat diutius, vers. 12.* Posterius *simpliciter, quia nihil profuturum est Israëlitis suum robur, vers. 13. nec gens à DEO immissa ullo modo parcet, sed gravissimè undiquaq; premet, vers. 14.*

PARS

PARS PRIMA.

Verſ. 1.

Novam hanc eſſe, & diverſo tempore à præcedenti concione habitam ex novo, prophetæ huic uſitato, apparet exordio, Vide ſuprà c. 3, 1. c. 4, 1, quo eos reddit attentos. Quia non vultis audire, quæ hactenus à me dicta ſunt, audite hoc verbum, hoc ipſum, quod (*hebraicè* אשר *quod Piſcator h.l. vertit, Nam, quemadmodum alibi accipitur, verùm non eſt neceſſe ita nodum in ſcirpo quærere*) Ego *extraneus à Deo peculiariter ad vos miſſus profero (hebraicè* נֹשֵׂא *id eſt, tollens) quomodo aliàs in ſcripturâ parabola vel verbum tolli, hoc eſt, pronunciari vel proferrri dicitur, Num. 23. 11. 22. Eſa. 14, 4. Job. 27. 1. & 36. 3. Ezech. 32, 2. & 27, 2. 32. Exod. 20, 7. Num. 24, 3. 15. Job 4, 2. quæ quatuor poſteriora notat Piſcator. de hac verò ipſa phraſi, vide Ezech. 19, 1. & 26,* 17. & 28, 12 *ſimul tamen judcij denunciandi gravitas indicatur, ut ex nomine derivato* מַשָּׂא *id eſt onus, ſeu prophetia onerosa, Prophetis in hoc genere concionum uſitatiſſimo, licet colligere, vide v. 1. c. 13, 25, 17-21. 22.* 23 *Eſaiæ, Nah. 1, 1 Hab. 1, 1 Zach. 9, 9. Mal. 1, 1. Piſcator. In os ſumo, complemento petito ex Pſal 50, 16. Profero autem hoc verbum non tàm pro vobis, quàm* ſuper & *contra* vos, O domus Iſraël, *& quidem tale, quod nil aliud ſit, quàm mera* lamentatio *pœnarum, lachrymarum, ac mœroris pleniſſimùm, & ob quod vobis, ſi neglexeritis, lugendum ac plangendum meritò erit, cum res ipſa & malum, quod hic prædicitur, extiterit.* קִינָה *enim lamentationem amariſſimam ſignificat, Ezech. 29.* 14, *Va-*

נֹשֵׂא de verbo dictum.

מַשָּׂא

קִינָה

14, *Vatablus. Audite verbum hoc, quo ego excito pro vobis planctum, quo ego deploro sortem vestram, & quibus verbis casum vestrum deploro.*

Attendite igitur, vos, contra quos hæc dico, lætamini, ego autem peregrinus, quem malum hoc non tangit, cùm vestra mala contemplor, nequeo quin lacbrymem, vestrumq; plangam interitum.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.)

Lex acuenda.

I. Fidelium verbi divini ministrorum officium est, etiam legem acuere & minas denunciare inobedientibus, qua de re suprà c. 1, 2. *Ezech.* 33.

Intercedendum est pro aliis.

II. Cùm omnium Christianorum est, aliorum calamitatibus affici & angi, 1. *Pet.* 3, 8. *flere cum flentibus, Rom.* 12. 5. *infrà c.* 6, 6. *tùm imprimis verbi divini præcones decet pro grege sibi commisso orare, Jer.* 18, 20. *Joël.* 2, 17. *pro eo ingemiscere, ut Deus eos, qui adhuc errant, in viam reducat, ad se convertat, & malum imminens avertat, exemplo Abrahami, ingemiscentis pro Sodomitis, Gen,* 18, 24. *Mosis, intercedentis pro suo populo, Exod.* 32, 31, 32. *Samuelis lugentis Saulem,* 1. *Sam.* 15, 35. *Jeremiæ, dolentis in Threnis suis vicem Judæorum, Christi, deflentis excidium Hierosolymarum, Luce* 19, 41. 42. *Pauli optantis etiam anathema pro Judæis fieri si converti queant, Rom.* 9, 3. & 10. 1. *Quod cum illi non faciunt, nempe non obducendo sepem, nec consistendo in irruptione coram Jehova pro terra, ne corrumpat eam, Deus graviter ipsis comminatur, Ezech.* 13, 5. & 22, 30. 31. *Objici prioribus potest ex Psalmo* 52, 8. *videbunt justi & ridebunt,*

bunt. Respondet D. Winckelmam. 1. agit de Doeg. 2. sunt illi motus sanctorum heroici, qui non cadunt sub regulam. Vide quæ dicta in Psal. 5, 11. & 69, 23. pag. 293. 294. 295.

PARS SECUNDA.

(Ex vers. 2.)

Cum dixisset Propheta se supra & contra Israëlem proferre lamentum, nunc porrò, quodnam sit illud per ἐξήγησιν *sequentem declarat, nempe regni miserabilis eversio, quæ quia futura erat tanta, ut Israël nunquam deinceps vires pristinas sit recuperaturus, aut ad statum regni perventurus, verbis duobus emphaticis cadendi & deserendi indicatur, iisq; ob certitudinem suam in præterito tempore usurpatis. Quemadmodum verò piorum de interitu Babylonis lætantium habet formula, Esa. 21, 9 Jerem. 51, 8. Apoc. 14, 8. & 18, 2. Ita hîc Prophetæ lamentantis cladem Israëlis irreparabilem instituitur oratio:* Cecidit, *inquit, in calamitates incidit gravissimas, vide Exercit. bibl. edit. 3. p. 132. 134. 135. & cecidit pro cadit certissimè, prophetarum more, unde nequit emergere, Jer. 8, 4. infrà cap. 8. v. ult. Esth. 6, 13. Atq; ita, proh dolor, cecidit,* ut nequeat amplius consistere *in suo statu (quemadmodum vox* קום *usurpatur sapè, Ps. 1, 6.) aut ad priorem statum redire, quod est resurgere, quia non habet vindicem, qui eam erigat, sub finem versus. Neq; enim prorsus tùm perierunt Israëlitæ omnes, quod testantur historiæ, & hîc v. 3. decimus quisq; relinquendus dicitur: sed* Israël *non mansit* virgo, *hoc est, regnum liberum. Sa. ita vocatur regnum, quod servatur, ut virgo, magnâ custodia. Cornel. à Lapid. vocatur ita re-*

Eversio regni Israëlis.

Cadere id est calamitatibus immergi.

gnum ob speciem, opes & gloriam, & quia intactum regnum â jugo hostis liberum & illibatum efflorescit. Addit Hieronym. dici Samariam virginem quod fuerit olim pura in cultu Dei. Verùm hæc ratio multis aliis urbibus & Rebuspubl. ethnicis non quadrat. Siquidem scriptura de provinciis ac civitatibus majoribus sæpissimè ita loquitur, ac si essent fœminæ, Esa. 1, 5. & κατ' ἐξοχὴν omne regnum pulchrum ac florens, quod est juris sui & nondum servit aliis Dominis, virginem appellat: quoniam hæc apud parentes tenerrimè educata, nondum servit suo marito: Sic regnum Judæ vocatur virgo, 2. Reg. 19. 21. Esa. 37, 22. Jer. 14. 17. Thren. 1, 15. & 2, 13. Regnum Babylonis, Esa. 47, 1. Ægypti, Jer. 46, 12. Zidonis, Esa. 23. 12. Quo respectu oppida & villæ nonnunquam in sacris vocantur filiæ, Num. 21, 25. 29 Jud. 12, 26. Si quis tamen præterea hîc voce virginis notari asserat, quod virgo Israël sponsa quondam Dei pulcherrima, Esa. 61, 10. Ezech. 16, 8. 10. Psal. 45. 10. Hos. 2, 19. vide Chemnit. p. 3. Exam. Conc. Trid. L. 1. 3. nunc per idololatriam facta sit adultera turpissima, Jer. 3, 1. Hos. 1, 2. quæ nihil nisi nomen virginis puræ & Deo consecratæ obtineat, nihil à fidei analogia absonum dixerit, vide 2. Corinth. 11, 2. & confer. Prov. 30, 19, Jer. 18 13 & videbis tam propriè de puella, quàm impropriè de Ecclesiâ virginis acceptum vocabulum, & illi tribui, quæ corrupta est, illa per impudicitiam, hæc per impietatem, Nota tamen, quod hoc loco sit vox בְּתוּלַת *quæ aliquando vocis* עַלְמָה *est Synonymum, Joel 1, 8. Et quoniam hoc peccatum idololatriæ, quâ fœdus Dei cum suis initum planè rumpitur, maximè aversatur & gravissimè puni-*

Provincia vel urbs dicitur fœmina,

Resp. libera, virgo.

Oppida filiæ.

Israël virgo facta est adulterra.

nire

nire solet Deus, suprà cap. 3, 14. *&* *hîc pœnam longè atrocissimam propheta subjungit, quà ob suam idololatriam affligenda sit resp. Israëlis:* Deserta *enim* erit *projecta* *&* humi prostrata, *validoq; ictu terræ allisa, perinde ut olla ad petram ita frangitur, ut à nullo figulo redintegrari queat.* 1. *Sam.* 30, 16. *Esa.* 32, 14. *&* nemo *est*, qui *manum illi porrigat auxiliatricem ac* erigat eam, *idq; meritò, quoniam ipsa justitiam in terram prosternit, infra v.* 7.

Vers. 3. *Rationem hujus lamenti tristissimi adjungit propheta, decretum Dei severissimum, quo malum jam in genere indicatum nominatur in specie, quod nempè juxta comminationem violatoribus legis obstinatis factam, Deut.* 27, 62. *vix decimus quisq; sit remansurus, & populus Israël ad magnam redigatur paucitatem, sicut etiam eventus probavit, de quo* 2. *Reg.* 22. 2. *Chron.* 30. Sic enim ait *&* *decernit* Dominus Jehovi: Civitas illa, quæ procedit millenis *h. e. ex quâ egrediuntur mille ad bellum ad pugnam idonei viri*, reliquos faciet centenos: & quæ procedit centenis, reliquos faciet denos domui Israëlis. *Completum hoc in triennali obsidione Samariæ* 2. *Reg.* 18, 10,

Vers. 4. *Vox hæc est Dei decretoria, quam nemo refigere potest ullâ vi aut potentiâ, sed quam sola potest mutare resipiscentia, quò & jam illa comminatio spectat, suprà c.* 4, 12. *Neq; enim sunt hæ prædictiones absolutæ, sed cum conditione pœnitentiæ facta, Jer.* 18, 7. *&c.* 26, 2. Idcirco (כִּי *apud hebræos sæpè ab initio versus ponitur asseverationis ergo, ut* ὅτι *in N. T. sæpe, præcipuè apud Johannem. vide Comm. in Hos.*) sic ait, *seriò & ex animo*,

nimo, domui Israëlis *Jehova, qui non delectatur morte morientis, Ezech.* 18, 32. *sed vult ut omnes salventur credentes (vel credendo,)* 1. *Timoth.* 2, 4. *Johan.* 3, 16. Inquirite me *accuratè & diligentissimè, Joel* 2, 12. 13. *quæ est vocis* דָּרַשׁ *emphasis, nempe tam studiosè & curiosè inquisivit, ut qui contemplatur aliquam scientiam, aut studiosè aliorum pervolvit commentaria, Esa.* 34, 16 *& plus est quàm* בִּקֵּשׁ *id est, quæsivit. Unde græci satis benè, hunc locum vertunt,* ἐκζητήσατέ με, *inquirite me, dum adhuc inveniri possum, Esa,* 55, 6. *in verbo & Sacramentis;* ita vivite, *per enallagen temporis, imperativus pro futuro ponitur, sicut Gen.* 20, 7. *Prov.* 4, 4. *&* 3, 4. *&* 20, 13. *Deut.* 32. 50. *Psal.* 37. 28. *Obad* 4. *ita demum vivetis, hoc est, ex usu linguæ hebrææ, prosperè agetis & feliciter (*Wolleben haben*) siquidem hoc vitæ nomine omnem comprehendit felicitatem, Psal.* 34, 13. *&* 133. 4. *quomodo etiam credentibus vita æterna, Joh.* 3, 16. *hoc est, felicitas sempiterna promittitur, Joh* 17, 24. *Vivetis itaq; vita utrâq; temporali, ne pereatis tam miserè, ut comminatus sum, v.* 3. *& æternâ post hanc vitam, recepti in cœlestia tabernacula.*

Nil autem quicquam juvat hoc & similia Dei præcepta Pontificiorum errorem, in loco de libero, ut vocant, hominis arbitrio, siquidem ea tantùm docent, quales homines esse deceat, non quid possint, ut ait August. l. de correpţ. & gra. cap. 3. *Cognoscimus in præceptione, quid debeamus agere, in correctione, nostro nos vitio non habere, in oratione, unde accipiamus, quod volumus habere.*

Vers. 5. *Convertimini igitur ad me & pœnitentiam*

Marginal notes: דָּרַשׁ. — בִּקֵּשׁ. — Imperativus pro futuro. — Vivere. — Pontificij malè à præcepto ad posse argumentantur.

tiam agite, ut etiam ego agam pœnitentiam de malo, quod super vos cogitaram. Sed quando acturi estis pœnitentiam, agite ex animo & veram, ne inquiratis faciem meam Bethele, neq; Gilgale, quia ibi nolo jam publicè à vobis coli, sed tantùm Hierosolymis, & ista loca peribunt cum suis cultoribus, v. 5. sed potius vos de hoc sitis solliciti, ut pro incredulitate vestra fidem in Deum, v. 6. pro injustitia justitiam in proximum, pro idololatria verum veri Dei cultum exhibeatis, v. 8. 9. pro hoc obstinato animum docilem præbete, ne pœna prædicta vos opprimat, v. 11. siquidem ego omnia vestra peccata optimè novi, v. 12. etiamsi Propheta & Sapientes jam cogantur tacere ea, quæ non apertè reprehendere, qui etiam tum, cùm malum vos presserit, silebunt, nec pro vobis intercedent, v. 8. Quærite, inquam, me Deum, bonum vestrum Patrem, v. 14. Ne verò idola & vitam ametis malam, v. 15. undè mæror tantùm consequitur & angor, v. 16. 17.

Scopus & summa aliquot sequentium versuum.

Hæc est summa & scopus totius hujus digressionis longiusculæ, quibus benè cognitis, faciliùs in sequentibus progredi possumus. Sic igitur pergit propheta in persona Dei hortari Israëlitas: Ne pro vestra mala intentione, quæratis me Bethele, ne putetis ibi me coli vestris somniis, vide suprà 4, 4. & Hos. 4, 15. & 12, 12. & Gilgalem ne adeatis, quæ sunt loca idolorum cultui in regno Israëlis destinata: neq; etiam, quum satiari vestris idolis non potestis in regno Judæ, vos conferatis aliò, quàm Hierosolymam, Bersebam, inquam, ne transeatis, ubi Deus apparuit olim Isaaco, Gen, 26, 24 & proinde locum illum sanctiorem aliis existimatis, infrà cap. 8, 14. licet

non sit in regno vestro, sed Judæ, 1. *Reg.* 19, 3. *& terræ sanctæ terminus versus Ægyptum seu meridiem, quo pertinet illa formula à Dan usq; Bersebam, hoc est, in tota terra sancta, siquidem Dan erat terminus ejus versus septentrionem*, 1. *Chron.* 21, 2. *Jud*, 20, 1. Αἰτιολογία *huic dehortationi adjicitur, quia hæc loca neq; seipsa tueri possunt, neq; eos, qui colunt idola in illis reposita*, siquidem Gilgalita omninò migrabit, & Bethel *erit, id est, abibit vel redigetur* in nihilum *Chaldaicè* וְהוֹן לְלָמָא *erunt in non quicquam, Ose*, 4, 15. *&* 10, 5. *In textu hebræo in priori membro est paronomasia longè elegantissima*: הַגִּלְגָּל גָּלֹה יִגְלֶה. *Cui similes hinc inde occurrunt in Vet. Test. Jerem.* 48, 2. *Amos*, 8, 2. *Mich.* 1, 10. 14. *Sophon.* 2, 4, *Gen.* 9, 27. *Jerem.* 6, 1. *Gen.* 3, 20. *&* 4, 1, 25. *&* 5, 29. *&* 17, 5. *&* 16, 11. *&* 21, 5. 6. & 25, 25. 26. *&* 29, 32. *&* 30, 6. *&* 32, 28. *&* 41, 51 52. *Exod.* 2, 10. *nec multum his absimiles in N. Test. occurrunt*, 2. *Cor.* 5, 6. *Philip.* 3, 2 3. 2. *Thess.* 3, 11. *Sic Esa.* 5, 7. *Ezech.* 7, 6. *Esa.* 24. 17, 18. *Jerem*/ 47, 43. 44. *Threm.* 3, 47.

A Dan usque Bersebam

Paronomasiæ elegantes in sacris literis.

Vers. 6. *Sequitur verò in textu:* Quærite Jehovam, ita vivite, ut non pervadat velut ignis, *cap.* 1, 4. *& discindat, diffindat ac vastet omnia, velut ignis consumens, Deut*, 4, 12. *sicut hostis irruens ac transiens, infra v.* 17. (*quæ est vocis* צָלַח*, hoc loco, emphasis, ob cognationem, quàm habet cum verbo Chaldæo* צְלַח 2. *Sam*, 19, 17. *alacriter pervadere*, hurtig durchdringen *confer.* 1. *Sam*, 10, 6. *Jud.* 14. 6. *ubi in bonam partem. Aliàs notat, prosper fuit, & ille prosperè agit, cui nihil occurrit adversum, vel qui omnia feliciter perrumpit,*) ac *demoliatur* domum Josephi, *seu regnum Israëlis, quod ita vocatur,* quia

צָלַח

quia Jeroboam, autor defectionis à regno Judæ, & hujus novi regni constitutor, erat ex tribu Ephraimi, Josephi filij, oriundus, 1. Reg. 11, 26. unde etiam Apoc. 7, 8. pro Ephraim Josephi nomen ponitur. Vide infra cap. 6, 6. Nisi itaq; quæsiveritis Jehovam, moriemini, & ipse consumet eos, qui sunt in Bethel, *velut ignis stipulam, Esa. 5, 24. & cap. 47, 14. atq;* ita, ut nemo sit, qui extinguat. *In textu hebræo est* לְבֵית־אֵל*, ubi* ל *vult notare accusativum Piscator, & citat hæc loca 2. Sam. 3, 30. Job. 21, 22. & 23, 8. Psal 64, 6. 68, 5. & 69, 6. Verum in textu hebræo satis dilucidè sunt omnia posita, & melius est vertere singula, quàm ordinem invertere quod etiam de prius allata expositione, quæ est apud Drusium secunda, dictum velim, ac reddere hunc locum, ignis, qui consumat, & non erit ullus exstinguens Betheli.*

• *Vers. 7. Imprimis verò vos præfectos populi puniet, ad quos judicandi pertinet potestas, qui & ipsi jus pervertitis, & injustitiam in aliis toleratis, Esa. 5. 7. c. 59, 4, 13.* vos mutantes jus, *quod Reipubl. suave, utile ac salutare est, & piis in eâ jucundum,* in absinthium, *rem longè amarissimam ac molestissimam, Thren. 3, 15. 19. Sap. 4, 1. & infra cap. 6, 12.* & justitiam, *quæ à vobis Dei loco in his terris erat exercenda, negligitis, abjecto & proculcato omni bono ac æquo,* humi eam collocantes, *Dan. 8, 12. dum homines justos injustè opprimitis, supra 4, 1. Ut enim jure & justitiâ nihil suavius, sic nihil injustitiâ aut injuria amarius. Confer Hos. 12, 14. Deut. 32, 32. Act. 8, 23. Si quis varias hujus versus explicationes cupit scire, adeat Comm. Cor. à. Lapid. p. 312. b.*

Vers. 8. Sed vos σκληροτράχηλοι nondum commovemi-

vemini hisce dictis, nec reputatis, quis ille & quantus, qui contra vos agit. Verùm attendite: Ego describam ejus majestatem supra cap. 4, 13. ille est, qui stellis numeros & nomina fecit, & alia quævis miracula facit SOLUS, Psal. 72, 18, illum itaq; Dominum toto animo requirite (quæ ellipsis ex v. 4, & 6. hîc supplenda est) opificem ac factorem plejadum *seu virgiliarum* & Orionis, *stellarum maximè insignium, vel etiam rusticis notarum, Job. 9, 9. & 38, 31. quarum meminit, quoniam iis apparentibus tempestates concitantur, quales hîc Dominus minatur. Marian. & ita hebraicè* כְּסִיל i. e. *stultus ob inconstantiam, & crebras aëris mutationes vocatur. Etiam hîc prolixè varias significationes vocum hebræarum recenset à Lapide, si libet, consule ejus Comm. Requirite ergò* illum, qui mutat umbram mortis, *hoc est, tenebras densissimas, Psal. 23, 4.* in mane, *seu diem lucidum, Jos. 10, 13. Exod. 14, 20. & contrà, cum vult,* diem nocte obtenebrat, *supra cap. 4. 13.* qui aquas maris *velut ad se* advocat, *dum solis radiis eas in altum attrahit; & elevet, elevatas in nubem condensat, atque ita mirabiliter pluviam generat,* dum eas rursum effundit in terræ superficiem: *Vel de diluvio hæc accipe, Gen. 7, 11, Vel de irrigationibus fœcundis quorundam fluviorum, Nili in Ægypto, Esa. 23, 3. Tygridis & Euphratis in Babylonia, Sirac. 24, 28. 29, 30. Plin. lib. 18. cap. 17. & 18. cui restagnationi non videtur multùm dissimilis fuisse repletio Jordanis, Jos. 3, 15. & 4, 18. 1. Chron. 12, 15. Sirac. 24, 29. ex quibus DEI majestas potentiaq; elucet vel maximè. Et quid multis?* Jehova est nomen ejus, *qui ipse à se, & à quo sunt reliqua omnia, quæ*

sunt

sunt, in quo sunt, quamdiu sunt, & ad cujus nominis gloriam fiunt, quæcunq; fiunt, dum ipse sapientissimè gubernat omnia, illa ipsa etiam, quæ nobis videntur esse mala.

Vers. 9. *Nempè quando homines potentes suâ abutuntur potentiâ tyrannicè, ipse quidem aliquandiu connivet, sed tandem ubi illi suæ iniquitatis compleverunt mensuram,* recreat se vastatione contra fortem, *eamque quàsi subridens infert Psal.* 2, 4. *quò b. l. vulgatus latinus & Aquila respexit, alia plura vide apud Corn. à Lap. dum potentes dejicit de sede, ita etiam* ut vastatio munitioni *vel validissimæ* obveniat. *Idcirco, ô Israëlitæ, agite pœnitentiam, quam nisi egeritis, omnes similiter peribitis, Luc.* 13, 3. *Auditis enim, quod satis potens sit hic Dominus ad vos perdendos, si vestris confisi viribus ipsi vos opposueritis.*

Vers. 10. *Sed, proh dolor, populus hic oculis suis non videt, auribus non audit, & corde suo non intelligit, Esa.* 6. *vers.* 12. *Nam* oderunt corripientem, *ac reprehendentem ipsorum scelera apertè, & velut* in *ipsa* porta *seu domo judicij, siquidem olim in porta exerceri solebant judicia, Deut.* 22. 15. *Zach.* 8, 16. *Gen.* 34. 20. 2, *Sam.* 15, 2. *Ps.* 127. *v. ult. Ruth.* 4. *Hieron. Propterea fiebat judicium in porta, ut neq; agricola ad causam veniens frequentia & novo terreretur aspectu, nec urbis habitator longè properaret ab urbe. Alij propterea id factum esse censent, ut admonerentur judices, ne quid facerent, cujus eos puderet, siquidem hic omnibus audientibus & videntibus faciebant, Sed neq; tum temporis erat tantus judicum luxus, ergo neq; tantus* Portæ usus quis olim.

S *curia*

curiæ ornatus. Si qui igitur pij non laudabant illas judicum ac divitiorum oppressiones, nec didicerant illud comici: ajunt, ajo: negant, nego: hos cane & angue pejus oderant, quia hi detestarentur ipsorum injustitiam, imò loquentem etiam integrum abominantur, *quoniam ipsi sunt pravi, & proinde si quis corripit & veris rationibus redarguit adversarium, cui injusti illi judices favent, & secundum quem sententiam pronunciare cupiunt, hic odio est illis injustis. Pisc.*

Vers. 11. *Eja verò Israëlitæ obstinati, crudeles, avari, hæc tanta flagitia auferretis inultà? non, non potest id fieri ob meam justitiam, sed* propterea quod calcaturam agitis contra tenuem, *supra v.7. & 2,7. & 4,1. quia tenuium bona ad vos transferitis, dum eos novis semper opprimitis oneribus, ut ita, quod ajunt, sub pedibus vestris tandem miserè proculcati jaceant (Vide Psal.* 109, 16. *id quod verbum hebræum innuit* בּוֹשַׁסְכֶם
בּוּס *pro* בּוֹסַסְכֶם *à* בּוּס *id est, pedibus conculcavit: Unde ipsum german.* Fuß/ *& procul dubio etiam græcum* πούς, *latinumq́; pes)* & propterea quod onus frumenti *vel sarcinam tritici purissimi* accipitis ab eo, *vel cogitis miserum agricolam, ut, unde ipsi cum suis vivendum fuerat, ad vos omne deferat suis humeris.*

Quid verò dicam aliud, nisi justissimè vobiscum agi, si crudeles tractemini crudeliter, & sicut vos miseris, omne quod ipsis erat, eripuistis, ita omnia vestra eripiantur vobis, juxta illud Esa. 33, 1. *Væ tibi vastator, quia tandem vastaberis: ita, inquam, futurum est,* domos cæso *seu quadro lapide magnificè quidem* ædificastis, sed non habitabitis in eis, *Vel enim ego illas diruam*

ruam, Malach, 1. 14. *vel vos ipsi immaturâ morte præveniemini, aut in captivitatem abducemini, Deut.* 28, 30. vineas desideratissimas & *præstantissimas, elegantissimas, optimas, fertilissimas, etiam visu iucundas,* herrliche schöne und lustige Weinberge/ (*hebraicè desiderii, abstracto pro concreto sumpto, ut gradum notat superlativum, sicut Dan.* 10, 11. 19. *Vir desiderii*) consevistis sed non bibetis vinum earum, *Deut.* 28, 39. *quamdiu non resipiscitis. Hoc enim si factum fuerit, civitates ædificabitis & eas inhabitabitis, vineas conseretis, & bibetis vinum earum infra cap.* 9. 14.

Vers. 12. *Sed dicitis: Quare, ô Deus, tàm graviter nos puniturus es? propterea, inquam,* quia *probè* novi multas defectiones vestras & valida, *hoc est, ingentia & multiplicia* (*Jer.* 15, 8. *Psal.* 139 17. *Mich.* 4, 3. *Zach.* 8, 22. *Nah.* 3, 9.) peccata vestra: *Non est, quod putetis posse ea à vobis coram me excusari aut palliari, quemadmodum hominibus potestis glaucoma objicere: sunt peccata vestra mihi certa, cognita ac probè perspecta, sunt grandia: Vestra inquam* affligentium & *coangustantium, Psal.* 6, 8. justum *supra cap.* 2, 6. accipientium redemtionem, *munus quo ius pervertatis, ita ut* כֹּפֶר *quod propriè λύτρον denotat, hoc loco sumatur pro quolibet munere, dicto hebræis* שׁוֹחַד 1. *Sam.* 12, 3. *Proverb.* 6, 35 *D. Winckelmam: significat largitionem, quâ iudicis oculi obliti excæcantur,* & pervertentium egentes, *eorumq; causam rectam, suprà cap.* 2, 6. in portâ *ac iudicio publico, suprà v,* 10. *Osiand, in curia depravatis causas bonas hominum pauperum, nunc malè referendo, nunc merita causarum dissimulando,*

Valida, id est, multa.

do, ut jus suum consequi nequeant, nisi vos muneribus satis deleniverint. Ihr nehmet Hellenküchlin/vnd verkehret den frommen armen Leuten jhre Sache.

Vers. 13. Idcirco, *quia neq; Deum, neq; homines recta monentes auditis, imò hos non fertis, sublatâ, metu iniquorum judicum, omni parrhesiâ & loquendi libertate,* intelligens *jam tacere cogitur, cum nihil suis proficiat salutaribus monitis, Sed etiam* tempore illo silebit, *quando jam calamitas oppressit securos, quia nihil suis etiam proficit querelis,* quum tempus mali sit, *difficultatis & asperitatis plenissimum, Psal.* 41, 2. *Ephes.* 5, 16. 2. *Timoth.* 3. 1. *silebit vobis, neq; pro vobis apud Deum intercedet, cum nihil ob vestram pertinaciam possit impetrare, silebit sibi, neq; contra Deum murmurabit, cum calamitas ipsum & vos oppresserit, sed Dei justitiam prædicabit & bonitatem præstolabitur, vide infra cap.* 6, 10. *Alij ita accipiunt, quasi sint Dei minantis verba, quod sit sublaturus omnes doctores bonos & daturus parasitos, Ezech.* 3, 11. *Sed scopo prophetæ in hoc loco, antecedentibus & consequentibus prior sentia melius videtur quadrare, quæ tamen nil quicquam excusat quosdam mutos canes, qui putant se hoc ipso satis esse excusatos, quod flagitia non reprehendant: hîc enim dicitur de facto, non de jure. Vide Apostolorum factum Actor.* 4. & 5. *Quantò enim pejus tempus est ratione scelerum & flagitiorum, tantò minus silebit, & tantò magis exclamabit voce suâ fidelis Dei minister.*

Sapiens silebit.

Vers. 14. *Sed esto, ait propheta, alios deterreri, quò minus vos arguant, ego peculiariter ad hoc à Deo vocatus sum, supra cap.* 3, 4. 8. *tacere neq; volo, neq; possum,*

sed

sed semper idem inculco, eandem gratiam offero pœnitentibus; eandem pœnam impœnitentibus denuncio: Redeo itaq; ad meam hortationem suprà v. 4. 6. cœptam: Quærite *adhuc* bonum *in lege præscriptum*, & ne *quæratis amplius* malum, *cui tot jam annos estis dediti, & velut affixi:* ita *demum & solùm* vivetis, aderitq; ita vobiscum, *summum bonum quærentibus*, Jehova Deus exercituum, ut prædicatis *& jactitatis, sup. cap.* 2, 4. *&* 3, 1. 2. 3. *Nam absq; hoc sit, frustra gloriamini de gloriosa ejus præsentia, nec possunt sibi polliceri divinum auxilium, qui in peccatis mortalibus habent perseverandi propositum.*

Vers. 15. Odio habete malum, *siquidem his adest saltem Deus, qui oderunt malum, quod odit ipse, & contrà* amate bonum, *recedite à malo & facite bonum, Psal.* 34, 15 *Rom.* 12. 9. *ac deinceps* constituite in portá jus, *quod hactenus neglexistis, supra v.* 10. *&* 12. *Quod si feceritis*, sine dubio *Deus pro suâ clementiâ* gratiam *faciet seu exhibebit (vide Piscatoris scholia)* reliquiis Josephi, *ijs qui ex regno Israëlis sunt superstites, supra v.* 6. 2. *Reg.* 14, 26. *Et hunc esse sensum hujus loci, ex scopo prophetæ iterum facilè potest probari, qui erat ad pœnitentiam hortari: ut eam obtineat, exaggerat hominum miseriam & DEI misericordiam, ut illam studeant effugere, ad hanc verò confugere: quò quid facere possit illa Pontificiorum dubitatio, ipsi viderint, quibus quæ sit in hoc passu opponenda, pluribus exposui Joël.* 2, 14. *& jam illud saltem adjicio: Autorē versionis græcæ, id hoc loco omninò voluisse indicare, dum vertit,* ὅπως ἐλεήσῃ κύριος τοὺς καταλοίπους τοῦ ἰωσὴφ, *& Chaldæum vocem hebræam*

אולי Id est, certe.

Probatur contra Pontificios.

hebræam אולי *exprimere per particulam* מי אים *quæ sæpè significat, utinam, Job. 6, 2. Si quis tamen omninò de pœna loqui prophetam statuerit, vel difficultatem impetrandæ gratiæ propterea proponi censuerit, ut in hominibus tardis excitetur ardor ac studium, ut incipiant currere, qui aliàs vix repunt, non admodum repugnabo, licet ex usu linguæ sanctæ meliùs hunc locum & similes explicari & faciliùs defendi crediderim. Sed redeo ad textum.*

Vers. 16. Idcirco *quia frustrà minis vos terreo, frustra promissionibus divinis allicio vos, & vos nihilominus in vestrâ persistitis malitiâ, ideo audite iam sententiam DEI iudicis; Omnia loca complebuntur planctu, tanta futura est calamitas, in urbibus, vicis, agris, vineis. Hactenus in funeribus divitum soliti fuistis quosdam conducere, qui simulatè flerent: at nunc deinceps res seria agetur, nam & cives & rustici seriò suas miserias deplorabunt, sicut olim factum in Ægypto occisis omnibus primogenitis Exod. 10. & 11. Nam* sic ait Jehova Deus exercituum, Dominus ipse: in omnibus plateis erit planctus, & in omnibus vicis dicent: heu, heu, & vocabunt agricolam etiam ad luctum, & ad planctum cum peritis lamenti *seu næniarum, seu nugarum, quæ propriè cantus in mortuorum laudem. Vide Plautum in Asinar. Scaligerum ad Varron. & quæ dicta Comm. in Soph. 3, 18. quas de more illius provinciæ, (ut scribit Hieronymus) lamentatores & lamentatrices. precio conducti, lugubri voce decantabant, ut qui aderant, ad dolorem ac sympathiam commoverentur, Jer. 9, 17. 18. Matth. 9, 23. Joseph. l. 3. de bell. Jud. c. 15. In textu*

textu hebræo אָבַל *luxit est generale :* סָפַד *externum lugentium gestum,* בָּכָה *internum luctum, qui quoq; se prodit singultu, notat.*

Vers. 17. *Quin* etiam in omnibus vineis, *ubi tempore vindemiæ maxima solet esse lætitia, Psal.* 4, 8. erit planctus, quia transibo *quasi fulgur in momẽto omnia pervadens, percellens ac sternens, vide supra v.* 6. *Lutherus* Ich wil unter euch fahren/ ich wil euch mores lehren/ in medio tui, *(id est, per te)* ait Jehova, *iratus puta & puniturus, Nam ut duplex visitatio in scriptura, ita etiam transitus, in ira scilicet & gratiâ, id quod in linguâ sanctâ vel diversa indicat constructio* עָבַר *cum* ב *constructum, ut hoc loco & Exod.* 11, 4. *cap.* 12. 12. *& Deo tributum significat punivit, plagas & adversa intulit: Quando verò cum* ל *&* עַל *occurrit, non punire, dissimulare, & quandoq; condonare denotat, infra cap.* 7, 8. *Mich.* 7, 18 *Proverb.* 19, 11. *Vide Drus. lib.* 19 *observ, cap.* 11. *Vide quadicta in Comm, in Hos. cap,* 10. *v.* 11. *pag.* 338. 339.

Duplex Dei transitus.

עָבַר cõstructum cum ב & עַל & ל

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.)

Illa Respubl, diu florere nequit, in quâ non floret verus & purus DEI cultus Lev. 26. *Deut.* 28. *Luc.* 19, 44. *quia sic tantùm rex prosperam aget vitam, & cuncta efficiet prudenter, cum in lege DEI meditatur die ac nocte, Jos.* 1, 8. *cum est veræ Ecclesiæ nutritius Esa.* 49. 23. *&* 60. 16. *& in Christo prosperè equitabit cum verbo veritatis, Ps.* 45, 5. *per quem reges regnant, Prov.* 8, 15 *Contrà autem cum Dei longanimitas contemnitur, tantò gravius*

Quando Religio floret Respubl, floret.

vius deinde punit, quantò diutiùs hominum impietatem toleravit. Osiand.

Ex verſ. 3.)

Deus ſe-verus vindex eſt.

Deus ſeverè punit malos impœnitentes, Exod. 20, 5. Pſ. 7, 13. 14. Nam olim, ſi quæ facta erat in exercitu ſeditio, imperator decimum quemq; ſecuri percutiebat; Hic verò imperator ſummus contra decimum quemq; tantùm remanſurum minatur. Vide de illo ritu Livium, & adde, quod paucitas hominum ſit ſpecies quædam maledictionis divinæ, & contrà multitudo ex benedictione Prov. 14, 28. Avari homines contrarium ſtatuunt. Oſiand.

Ex verſ. 4.)

Noſſe Deũ beat.

Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEUM, & quem miſiſti JESUM CHRISTUM, Joh. 17, 3. Cognoſcere enim illum, eſt radix immortalitatis, Sap. 15, 3. Quisquis igitur non vult æternum mori, hanc vitam quærat fide, Joh. 8. 51. Omnis enim, qui credit illi, qui miſit Chriſtum, habet vitam æternam, & in judicium non veniet; ſed tranſiit ex morte in vitam, Johan. 5. 24. Et pœnitentiam quando agimus, Deus calamitates aut tollit aut mitigat Jer. 18.

Ex verſ. 5.)

I. Ita DEUS vult coli, ut in ſuo verbo præſcripſit, ſupra c. 4, 4. & illi fruſtrà ſe reſipuiſſe gloriantur, qui in flagitiis ſuis pergunt.

Idola ſunt אֱלִילִים

II. Idola gentium ſunt vanitates vaniſſimæ, Zach. 10, 2. & revera non ſunt Dij, 2. Chron. 15, 3. qui κατ' δόξαν, tantùm vocantur Dij, Exod 20, 3. Deut. 32, 21. 1. Sam. 12, 21. ſed verè ſunt אֱלִילִים quaſi dicas, אַל־אֱלִי, h. e. infirmi & nihili, Uide Lev. 26, 1. Sap. cap. 13. 2. 10. & 15, 15. Ba-

15. *Baruch*. 6, 3. *Esa*. 44, 5. & 46, 6. 7, *Jer*. 10. 2. *Jon*. 9. *Psal*. 31, 7. *Esa*. 41, 29. *Dan*. 5, 23.

Ex vers. 6.)

DEUS iratus est ignis consumens, supra cap. 1. *v*. 4. *Joël*. 1. *v*. 19.

Ex vers. 7.)

Pervertere hominem in causa suâ Dominus non probat, Thren. 3, 35-39. *Væ dicentibus de malo, bonum id esse, de bono, malum id esse, statuentibus amarum pro dulci, & dulce pro amaro: væ absolventibus improbum, propter munus & justitiam justorum abjudicantibus ab unoquoq; eorum, Esa*. 5. *vers*. 20. 23. *væ decernentibus decreta iniqua ad evertendum de causa tenues, & ad capiendum jus pauperum, Esa*. 10. 1. *D. Winckelman. Alloquitur propheta Amos Principes & Judices. Judicium debebat esse omni injuriam patienti asylum exoptatissimum, & res jucundissima: verùm quod pauperibus oppressis jucundissimum esse debebat, ipsi converterunt in absinthium propter calumniosam juris interpretationem, circumventionem, causarum protractionem, negligentiam, iniquas sententias. Sic igitur putemus Deum intonare judicibus, & suis Diis vicariis: Quousq; judicabitis iniquè, & personam improborum suscipietis? Psal*. 82, 1. 2. *Non enim exercetis judicium hominis, sed Domini*, 2. *Chron*. 19, 6. *Deut*, 1. 17. *Eccl*. 8, 9. *Addit D. Osiander. Judicium in absinthium convertitur & justitia in terram prostrata conculcatur non tantùm cùm injustæ sententiæ pronunciantur, verùm etiam cùm tales progressus Juris instituuntur, ut partes litigantes, præsertim quæ justam causam defendunt, non possint sen-*

Judicium perversum Deus non probat.

tentiæ promulgationem aut executionem impetrare. Tales processus Diabolus invenit, omnis justitiæ & æquitatis hostis: & ubi tale est jus, ibi nullum est jus.

Ex versu 8.)

Vide suprà c.4,7. & 13. & confer Psal.104. & Psalmum 8, 4. & Job. cap. 38. *Addit iterum D. Osiander.* *Quoties magistratus aut ICti sidera aspiciunt, aut dierum & noctium vicissitudinem observant, aut imbrem decidentem vident, cogitare debent, se ei potentissimo domino, in cujus manu posita hæc sunt, administratæ Reip. rationem esse redituros.*

Ex vers. 9.)

Deus mutat regna.

Regum & quorumcunq; Dynastarum interitus vel exilium non contingit fortuitò, sed Deus est, qui transfert regnà & constituit reges. Dan, 2, 21. Sirac. 10, 8. & 16. & seqq. Exempla sunt Gen. 14. 10. 15. Exod. 17, 13, 16. Num 31,7, Jos. 11,8. Dan. 4,29 &c. 5. vers. 23. & sapè qui multos injustè oppresserunt à Deo vindice opprimuntur.

Ex vers. 10.)

Obstinati bona monita non audiunt.

Ea est plerorumq; hominum cæcitas & malitia, ut benè monentes non audiant, imò iis mortem intentent, qui vitam illis impertiri cupiunt, dicentes quis est Dominus noster? Ps. 12. 5. quibus est venenum simile serpentis, & sicut aspidis surdæ obturantis aurem suam, Psalm 58, 5. Exempla Reg. 22, 24. 26 Gen. 19, 9. Jer. 38, 6. Matth. 14, 3. Act. 7, 54. 57. vide D. Osiandrum.

Ex vers. 11.)

violentia.

I. Violentia grande scelus est, & graviter à Deo punitur, Joel 3, 19. suprà 3, 10.

Bona corporalia.

II. Quemadmodum piè viventibus sæpè dantur bona corpo-

corporalia, ità impiè viventibus sæpè eadem subtrahuntur, in qua re tamen multa sunt DEI nobis abscondita judicia. Vide Psalm. 37. & 73. Jer. 12. Job. 21. Interim sæpè exstruuntur ædes magnificæ ex pauperum sudore.

Ex vers. 12.)

Deus novit omnia nostra peccata, Hebr. 4, 13. imò quæ veniunt in spiritum nostrum, ipse novit, Ezech. 11, 5. pervestigat nos & cognoscit sedere & surgere nostrum, intelligit cogitationem nostram, & omnium viarum nostrarum peritus est, Psalm. 139, 2. 3. 4. Illius igitur omniscii Domini metuamus oculos. Deus novit omnia

Ne pecces, Deus ipse videt, tuus Angelus astat,
Accusat Satanas, conscia mens cruciat.

Ex vers. 13.)

Animus stulti adversus Jehovam in malis indignatur, Prov. 19, 3. & contra DEUM murmurat, Thren. 3, 39 contrà pij castigati à Domino, silent, obmutescunt, os obturant, Psalm. 39, 2. 3. 10. Job. 39, 37. 38. Deiq; justitiam agnoscunt, Psalm. 119, 137. Mich. 7, 9. Exemplo est Job, c. 1, 21. & 2, 10. David, 2. Sam. 16, 10, 12. In malis non æquè se gerunt mali & pii.

Ex vers. 14.)

Deus non adest iis gratiosè, qui quærunt malum, aut id faciunt, quod præbet Elenchum adversus Calvinianos, qui fingunt, renatos non posse gratiâ Dei excidere, contra Scripturæ testimonia expressa, Johan. 15, 6. Rom. 11, 20. & exempla plurima idem (proh dolor) testantur Davidis, Petri, &c. Deus malis non adest.

Ex vers. 15.)

I. Non satis est odisse malum, sed oportet etiam amare bonum, Psal. 1, 1. 2. & 15, 2. 3. 4. & 24, 4. & Ps. Recede à malo, & fac bonũ.

 34, 15.

34, 15. & 37, 27. *Esa.* 1, 16. 17. *Unde eleganter Basilius M.* ἀρχὴ πρώτη, τὴν ἀνάληψιν τῶν καλῶν ἡ ἀναχώρησις τῶν κακῶν.

Deus est justus.

II. Justus Jehova, quæ justa sunt, diligit. Psal. 11, 7. *diligit justitiam & odit improbitatem Psal.* 45, 8. *proinde utiq́ est fructus justo & Deus judex in terra Psal.* 58, 12. *qui judicaturus est orbem in justitia Ps.* 9, 9. *Illæ autem Resp. certò ruinam minantur, in quibus jus & æquum conculcantur. Exemplorum plena est omnis ætas, etiam hæc nostra, licet multi adhuc in meridie cæcuciant, imò ad Dei iudicia oculos claudant, cupientes liberari à pœna, quum non discedant ab illâ latâ culpâ.*

Resipiscens malum effugit.

III. Quando gens convertitur à malo, quod facit, etiam Deum pænitet mali, quod cogitavit facere, Jer. 18, 7. 8. 9. 10.

Ex vers. 16.)

Deum qui non habet est tristis.

Qui Deum omnis lætitiæ fontem Psal. 4, 7. 8. *derelinquunt, non est mirum, quod in magnam incidant tristitiam & planctum Deut.* 28, 47. 48.

Ex vers. 17.)

Horrendum est, incidere in manus Dei vivi & irati Hebr. 10, 31.

PARS TERTIA.

Vers. 18.)

Cum versu præcedente dixerat propheta, Deum iratum transiturum in medio Israëlis, illi, qua erant confidente audacia, respondere poterant: Vos prophetæ multa dicitis de die visitationis Domini in ira (ille enim dies Domini hoc loco intelligitur, ut Joël, 2, 11.) *quando igitur*

tur venit? quando tandem apparet id, quod dicitis? Veniat, ut videamus ac cognoscamus. Confer Esa. 5, 19. *Jer.* 17, 25. 2. *Pet.* 3, 4. *Verùm respondet propheta, sive vos ex vanâ fiduciâ vestrarum virium, sive ex hypocrisi putatis diem illum Domini vobis non fore exitialem, quippe qui Deum colatis multis sacrificiis in multis locis supra. cap.* 4, 4. *& in h. v* 5. *tamen* væ vobis *ita* concupiscentibus diem Jehovæ, *cum prædictiones eius ludificamini.* Quorsum enim vobis *ille? Imò ille dies* Jehovæ, *quem prænuncio, est* ipsæ tenebræ, *hoc est, maximè tenebricosus, ex linguæ S. usu, & porrò ex scripturæ consuetudine per tenebras calamitates designantur vide Joël.* 2, 3. non *verò* est lux *seu prosper & felix: Deus enim adveniens est vobis hostis, non vester defensor. Vide Soph.* 1, 14. 15. 16. 17. *Esth.* 8, 19. Tenebræ.

Vers. 19. *Ac ut intelligatis, non posse fieri ut evadatis impunè, magnæ calamitates instant aliæ ex aliis nexæ, ut si vir vitato leone in ursum incidat, Mariana: sic cum eo Corn. à Lap. omnia ubiq; erunt plena periculis, nec foris, nec domi quis tutus erit: agite parabolâ vobis rem declarabo, nempe sic in illo die Jehovæ se res habebit, ac* si quis in sylvâ *vel agro* fugiat à conspectu (מִפְּנֵי *i. e. metu* leonis *truculentissimi, & ipsum, cum hoc evitasset malum, longè gravius excipiat, cum videlicet ipsi* occurrat ursus, *quo nihil sævius, cum perdidit catulos aut etiam illius cum effugit rabiem, & iam* ingreditur domum, *existimans se ibi satis fore tutum, ac ut se lessum recreet, aliquantulum* innitatur manu suâ ad parietem, *si tum ex illo pariete prodiens* mordeat eum *& lethali veneno afflet* serpens, *ita ut unum malum se-*

 quatur

Malum trudit malum.

quatur alterum, & qui fugit unum, semper incidat in aliud deterius: Sic etiam vobis futurum est, siquidem multos habet Deus modos, quibus vos puniat. Et licet ex uno salvi evadatis malo: tamen alterum vos manet certissimè, ut possit de vobis meritò dici, quod est in proverbio:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

Malum enim post malum, & damnum post damnum, vos urgebit, donec vos consumat. Vide Esa. 24, 18. *Jerem.* 48, 43. 44. *Hos.* 13, 8. *etiam ea, quæ fuerunt suprà cap.* 2, 14.

Vers. 20. Annon *itaq; verum est quod dixi,* diem *Jehovæ fore vobis malis vestro vitio* tenebras, non autem lucem: *allaturum vobis mala multa, nulla verò commoda: quandoquidem* in illo *erit* caligo tanta cui nullus inest splendor, *tanta calamitas erit, quæ nullo modo potest evitari, aut saltem leniri ope humanâ.*

Vers. 21. *Etne putent posse sacrificiis Deum placari, per anticipationem huic errori occurrit propheta, in persona Dei sic loquens:* Odi, sperno *(ubi ἀσύνδετον & συνωνυμίαν magnitudinem odij & iræ indicat supra c.* 3. 11.*) ut reprobo* dies festos vestros, *vestros, inquam qui non ritè eos celebratis, sed idololatria verum Dei cultum corrupistis, nec ob verum finem hæc instituitis sacra exercitia, qui est piè vivere, & ad Christum vos deducere Gal.* 3, 24. *Hebr.* 7, 8. 9. *capp. nec debito modo offertis sacrificia, siquidem vos ipsos in verâ contritione & pœnitentiâ non offertis Rom.* 12, 1. *Unde facilè liquet secundum quid hîc reprehendi sacrificia & reliquas V. T. ceremonias, quas aliàs Deus severè mandaverat. Confer*

Sacrificia quomodo Deus reprehendat.

*Es*1, 11. *Psal.*50 8. *Hos.* 8,13. *supra c.*4,4.5. neq; odoraturus sum, *hoc est, scripturæ phrasi, cum beneplacito suscepturus Gen.*8,21 *Lev* 26,31. dies interdicti vestri *Joël.* 2, 14. *h. e. sacrificia dierum vestrorum, quibus omni labore externo etiam extraordinariè interdicitur. Vide similem verbi* הֵרִיחַ *constructionem cum* ב *Exod.* 30, 38. Odorari

Vers. 22. *Hanc interpretationem firmat sequens versus:* nam si (*Picator etsi, in qua significatione vocula* ▭אִ *alibi occurrit, Job.* 9. 15, 20. *&* 16,6. *&* 17,12. *&* 20,6.12. *Jer.*15,1.) obtuleritis mihi holocausta, *ea* & muncra vestra *reliqua* non habebo accepta eucharisticum pinguium vestrorum ne intuebor quidem. *Si verò vocem* ▭שֶׁלֶ *mâlis propriè vertere, pacificum, h e. sacrificium, quod pro pace i.e. ex sanctæ linguæ proprietate, prosperitate ac incolumitate offertur Et si phrasin non intueri per metalepsin, pro fastidere placeat accipere, neq; tum à prophetæ scopo, neq; verborum proprietate recedes. Verùm Bell. lib. 2. de eff. Sacr. c.* 14. *hoc loco abutenti facilè satisfacies, si notaveris, primùm sacrificia nullam habuisse vim expiandi à peccatis absolutam, quæ ex se & semper inesset: sed typicam & relativam, quatenus Christus agnus ille venturus iis præfiguratus fide vera apprehendebatur Apoc.* 13, 8. *Deinde: Sine hac fide fieri non potuisse, ut impiorum sacrificia DEO placerent Hebr.* 11, 6. *Rom.* 14, 22. *quæ aliàs à piis oblata juxta mandatum Dei placebant quàm maximè, vide Lev.* 5. *In plerisq; dictis ex V T. adductis à Bell. committitur fall. à dicto secundum quid, &c. h. m. Deus non delectatur impœnitentium, & nondum reconciliatorum sacrificiis: E. nullis. Et sacrificia non expiabant per se: E. nec relatè*

שֶׁלֶם

Non intueri.

Resp. Bellarmino.

per

per aliud, videlicet passuri Christi meritum. Osiander. Cultus illos abominabatur Deus propter tres causas, I. quia Israëlitæ cultus à Deo institutos contaminabant humanis traditionibus, II. eos peragebant ut ex opere operato sua expiarent peccata, III. ducebant flagitiosam vitam, adeò ut propter ipsorum turpitudinem nomen Dei blasphemaretur. Accommodentur hæc ad nostros homines & hos mores, videbis eandem agi fabulam.

Vers. 23 Sed his obiter à depravatione Jesuitæ vindicatis pergimus in explicatione textûs, ubi Deus porrò ita loquitur: Cùm his sacrificiis non delector, tum nec reliquis tuis cultibus idololatricis possum placari. Frustrà igitur iis teq; meq; fatigas. Amove *verò, aufer* à me strepitum canticorum tuorum, etiam melos *concentum ac psalmodiam* nabliorum tuorum, *quod genus instrumenti musici nobis ignoti alij veterum græcorum* κατ' ἐξοχὴν *organum, alij* ψαλτήριον, *Latinorum quidam lyram, quidam citharam, quidam deinq; secuti fortè* ἔτυμον *utriculariam fistulam vertunt. Et quid attinet multis illa sine fructu inquirere, quæ sine ulla veritatis jactura possumus ignorare?*

נֶבֶל

Vers. 24. Hactenus, quibus Deus nolit tantùm coli (sine fide & verâ pietate) audivimus; videamus porrò quid malit & in illis cultibus desideret, nempe veram fidem ac pietatem, quæ operibus justitiæ se exerat ad proximum. Potius enim, quàm illos cultus tantùm præstetis fluat *(hebr.* יִגַּל *devolvetur, quod quidam frustra conantur referre ad Rad:* גָּלָה *siquidem ultima vocalis obstat)* jus *ad judicium inter vos* tanquam aqua, *copiosè, & ut appareat omnibus, quemadmodum aqua*

Jus fluat, ut aqua.

aqua non poteſt latère, quæ magnos volvit fluctus (quæ eſt verbi hebræi hoc loco proprietas, unde etiam LXX. hunc ſenſum expreſſere, volvetur ſicut aqua judicium, Pagninus, volvet ſe ſicut aqua, R. D. Kimchi, judicium ultionis meæ quaſi moles aquarum inundantium affluet, & revolvetur ad vos, ſic enim de aqua hebræis גָּלַל *græcis* κυλίω, *latinis devolvere uſurpatur. Livius. devolutus monte præcipiti torrens. Columel. Huic proximè fluens aqua, quæ per ſaxa præceps devolvitur)* & juſtitia, *quæ hactenus inter vos nulla fuit viſa ſuprà v. 7. & 12. erumpat tandem* ut torrens validus, *juxta Græcorum adagium* χειμάῤῥȣ δίκlω. *Hæc explicatio cohærentiæ textus, & prophetæ ſcopo meliùs videtur convenire; quàm illa, quæ vult, eſſe in his verbis denunciationem pœnæ, q. d. DEUS, à ſe proditurum & magnâ vi erupturum, inſtar torrentis, jus ac judicium ſeverum in Iſraëlitas, quod ſuis commeruêre hactenus flagitiis.*

Verſ. 25. Sequentia verò præcedentibus ita poſſunt annecti: Vos hiſce in veſtris cultibus ſpem magnam ponitis, qui tamen ſunt idololatrici, & mihi nequaquam probantur, tam in vobis, quam veſtris majoribus: non enim hodiè aut heri cœpit demùm hæc veſtra Iſraëlitarum ſuperſtitio, ſed jam olim, eſtq; malum quaſi hæreditarium. Nunquam enim verè, aut certè valdè rarò, rectè & rite mihi ſoli oblata ſunt à veſtra gente ſacrificia. Quam negativam hujus loci ſententiam interrogatio Rhetorica in textu adhibita innuit, cui ſimilem Joël. 1, 2. vide. Excutite enim veſtrum ipſorum animum & hiſtorias majorum evolvite, an ſacrificia & munus obtuliſtis mihi *tantùm Joël, 2, 13. ita ut nullos*

alios mecum colueritis Deos Exod. 20, 1. *& quidem tùm cùm recens erat illud beneficium maximum, quo vos eduxi ex Ægypto supra cap.* 3, 1. 2. *&* deinde in deserto per quadraginta annos *illos, vos deduxi, protexi, alui suprà c.* 2, 10. O domus Israël, *negate hoc, si potestis. Piscator paulò aliter explicat, sed sensus eodem recidit. Non mihi, sed diis vestris commentitiis. Interrogatio enim hæc habet vim negandi. Mariana etiam aliam viam instat, sed tamen ad eandem metam properat. Quia (inquit) non soli Deo offerebant, perinde erat ac si non offerrent. Ad numeri autem rotundationem (quæ scripturæ solennis, licet aliquid desit vel supersit) ponuntur* 40, *qui fuere verè tantùm anni* 38. *integri & pauci menses. Vide Drus. & Cornel. à Lapide in h. l. & adde exempla Jud* 9, 56. *Num.* 14, 34. *&* 32, 13. *Deut.* 29, 5. *Jud.* 11, 28. *&* 20, 46. 2. *Sam.* 5, 5. *Job.* 20, 24.

Vers. 26. imò *humeris sublatum Esa.* 46, 7. *Bar.* 6, 3. 25. portastis tabernaculum Melechi vestri, *idoli ab Ammonitis ad vos traducti, quo tanquam rege confidebatis, qui vester esset dux in itinere Es.* 44, 6. *Soph.* 1, 5. *portastis* etiam basin imaginum vestrarum, & sidus Dei vestri, *quæ omnia contra meum præceptum* fecistis vobis *Deut.* 4, 19, *vide* 2. *Reg.* 17, 16. *Jer.* 19, 13 *&* 44, 17. *Quando hoc factum, si quæris, Ribera & ex eo Cornel. à Lap. dicunt, Num.* 25, 1. *confer Josephum l.* 4. *antiquit. c.* 6. *qui dicit, Israëlitas tum non unum Baalpeor, sed plures alios deastros coluisse.*

Vers. 27. *Ob hanc idololatriam, quam instituerunt vestri majores, & quam vos adhuc exercetis nepotes, oportet me illam vobis irrogare pœnam quam idolo-*

latris

latris comminatus sum Exod. 20, 4. *Deut.* 27, 15. Quapropter deportabo vos ulterius Damascum, ait Jehova Deus exercituum nomine.

Si jam quæris, quomodo hi tres versiculi ultimi conciliandi sint cum iis, quæ *hinc citavit Stephanus Act.* 7, 42, 43. *NOTES*, *tum* in genere *has hypotheses*:

Conciliantur tres versus ultimi cum allegatione ea, quæ est Act. 7. 42.

Notantur in genere hypotheses.

I. Plerumq; non tam verba, quám sensum loci respicere eos, qui in novo T. aliquid citant è veteri. *Præter alia plura vide & confer Mich.* 5, 2, *& Matth.* 2, 6. *Psal.* 16, 9. *Act.* 2, 26. *Psal.* 40, 7. *& Ebr.* 10, 5. *Dan.* 9, 29. *& Matth.* 24, 15. I.

II. Conciones neque semper omninò iisdem, neque totidem describi verbis, quibus sunt habitæ, sed saltem earum summas referri, *confer Matth. c.* 5. 6. 7. *Luc. cap.* 11. 12. Et quas conciones Christus ac Paulus aliquando Judæorum linguâ vernaculâ habuit, eas græcâ esse ab Evangelistis consignatas *vide Marc.* 5, 41. *& c.* 15. 34. *Act.* 22, 2. II.

III. Ex græca versione, quæ tum in plerorumque manibus, multa paulò aliter citari, quàm extant in fontibus, dummodo sensus loci non corrumpatur: *Confer Zach.* 9, 9. *& Matth.* 21, 8. *Psal.* 8, 3. *& Matth.* 21. 16. III.

IV. Sæpè pro re nata ex gravi causa àcitantibus parvam quandam fieri vel (1) ordinis mutationem: *Confer Esa.* 65, 1. *& Rom.* 10, 20, 1. *Reg.* 19, 14. *& Rom.* 11, 2. *Zach.* 11. 12. 13. *& Matth.* 27, 9. 10 (2.) vel detractionem, *eorum scilicet, quæ nihil ad institutum præsens facere videbantur, Confer Hab.* 2, 4. *& Rom.* 1, 17. *Esa.* 9. 1. *& Matth.* 4, 15. *Deut.* 24, 1. *& Matth.* IV. 1, 2.

V 2 5, 31.

5,31. *Deut.* 25,5. *& Matth.* 22,24, *Lev.* 2,13. *& Marci* 9,
3. 49. (3.) vel adjectionem *eorum, quæ illustrare locum præsentem poterant: Confer. Deut.* 6.13. *& Matth.* 4,19. *Gen.* 3,24. *&* 19,5. Vel (4) metalepticam verborum
4. commutationem. *Confer. Esa.* 18,16. *& Rom.* 9, 33. *Psal.* 68,19 *& Ephes.* 4,8. *Esa.* 42,2. *& Matth.* 12,19. Vel
5. (5.) *deniq;* aliam levem immutationem, *veluti* numeri. *Confer Psal* 32,1. *& Rom.* 4,7. *Esa.* 52,7. *& Rom.* 10. 15. *aut personæ, Confer Deut.* 6,16. *& Matth.* 4,7. *Zach.* 13, 7. *& Matth.* 26,2.

V. V. Propria hebræorum nomina, ad linguas externas migrantia, plerumque corrumpi unius literæ aut syllabæ permutatione. *Vide præter alia multa Matth.* 1. *& Luc.* 3. *in Genealogia Christi, & parallelorum libros tres F. Junii, & Harmoniam scripturæ D. Waltheri.*

In specie. 1. de v.25. *Tum ut ad locum præsentem veniam, scias* in specie: *In versu antepenultimo hujus capitis & vers.* 42, 7. *Act. nullam in sensu esse discrepantiam, tantùm, quod ibi apud prophetam in numero singulari dictum fuerat; hic à protomartyre ad magis urgendos adversarios in numero plurali citari, nempè pro,* מִנְחָה *dici* θυσίας. *Utraq; vero vox oblationem sacram quamvis denotat, cùm eam, quæ mactatur, tum eam, quæ suffitur & adoletur: Vide Gen.* 4. 3, *Hebræa tamen munus quoq; prophanum notat Gen.* 43, 11. *& quando conjunguntur voci sacrificij, munus id ferè notat, quod non mactatur Psal* 40, 8.

מִנְחָה θυσία.

2. de v.26. Est hæc levis mutatio. 1. 2. *In versus autem penultimi collatione accuratâ cum Luca deprehendes (1.) ab hac factam esse levem mutationem ordinis quod ad orationis membra (2.) adjectio-*

ctionem horum verborum, ut adoraretis ea; *utramq; verò ad majorem evidentiam facere.* (3.) *Cum Lucas græcè scriberet, ipsi religionem fuisse mutare id, quod erat in versione græcâ tum usitatâ. Licet nullum possit esse dubium, quin Stephanus locum ipsum ex textu hebræo apud hebræos agens citaverit. Id verò Evangelista fecit tantò confidentius, quantò minor in sensu etiam hic est discrepantia. Nam* צְלָמִים *esse typos seu expressas imagines, quas alias græci dicunt* εἰκόνας, *vel omnes pictas vel fictas statuas constat ex Num.* 33. 52. 1. *Sam.* 6, 5. 11. *Ezec.* 7, 20. *& c.* 16. *v* 17. *Dan.* 3, 1. 5. 6 *&* מֶלֶךְ *hoc loco idem esse idolum, quod aliàs dicitur* מִלְכּוֹם 1. *Reg.* 11, 5. *vel* מֹלֶךְ *Lev.* 18, 21. *& c.* 20. 2. 3. 2. *Reg.* 23, 10. *Jer.* 32, 35. *&* 49, 1, *ac ab Evangelista in græcâ linguâ rectè vocatur* Μολόχ: *à Syro vero nominatur* מַלְכּוֹם *facilè concedent ij, qui ex eadem radice descendere hæc omnia cognoverint, & cum hoc loco contulerint infra c.* 7, 13: *Soph.* 1, 5. *Affixum autem notat, quod Israelitæ ad formam idoli Ammonitici proprium idolum sibi fabricaverint. Quidem putant fuisse idolum Mercurij, qui pro* מלך *legisse videntur* מַלְאָךְ *id est, nuncius, siquidē ille putabatur esse Deorum nuncius.* (4.) *In quo videtur potissima dubitatio, est quod prò voce* כִּיּוּן, (*quæ fundamentum quodvis aliàs significat; hoc vero loco basin affabrè factam, cui impositæ erant imagines idolorum, ut tantò melius de loco in locum possent tranferri & in templo reponi*) *in textu græco reposita esse putetur vox* ῥεμφὰν *quæ quomodo cum illa conveniat, quæritur. Hunc nodum ut solverent, multi multa attulerunt, quæ brevitatis ergo omitto, & duas maxime probabiles affe-*

3. Sed nullo in sensu. צְלָמִים Τύποι Εἰκόνες מֶלֶךְ & מַלְכּוֹם, מֹלֶךְ

4. כִּיּוּן & ῥεμφὰν quomodo convenīant.

prior sententia. ex כִּיָּאן factū esse. רֵיְּאן posterior כִּיּוּן omisit Stephanꝰ & nomen idoli proprium substituit.

ro sententias, quarum prior ab hebræo interprete Aben Esra sumit originem, notat, ex lingua Arabicâ & Persicâ constare, Saturni stellam in eis appellari כִּיָּאן, *quæ hîc dicatur barbarâ voce* כִּיּוּן, *ideò à prophetâ adhibitâ quia de barbararum gentium idolo esset sermo: Hinc factum plerique existimant, ut pro illâ voce græci olim legerent* רֵיְּאן, *græcè* ῥεφὰν. *litera* כ *infernè erasâ, quod nomen tandem inserto* μ *mutatum in* ῥεμφὰν. *Ita sentiunt Brentius, Mercerus, Drusius, Buxtorfius.*

Posterior sententia est eorum, qui statuunt vocem כִּיּוּן *à Stephano esse omissam & nomen idoli proprium esse adjectum, quod apud prophetam non extabat. Mariana. Veterem, apparatum idolorum vestrorum, à* כּוּן *id est, paravit. Hæc sententia omnium videtur optima, & illud evitat incommodum duplex, in quod incidit prior sententia, nempè trajectionem minus convenientem, & erroris cujusdam in nomine commissi, propagationem. Ita putat Junius in parallelis, Beza, Ribera. Ille addit, fuisse id* ῥεμφὰν *de nomine loci alicujus proprio desumptum,* ῥεφὰν *vel* ῥεφὼν *1. Maccab. 5, 37. sive Raphan, ut scribitur apud Josephum lib. 12. antiquit. Judaic. c. 12. sive Rophon apud Ruffinum Josephi interpretem, sive Rephon apud Chaldæum paraphrasten, quod oppidum situm in Ammonitarum finibus, cui Deus tutelaris præfuerit Rephan vel Remphan quo nomine hic à Stephano Judæis objiciatur cultus ejus nefarius ad Judæos ab Ammonitis translatus, sicut & alterius idoli Milchom. Qui prolixitate delectaris, adisis Cornel. à Lap. qui pluribus conatur evincere Rephan esse Luciferum.*

Vers.

Verſ. 17. *Deniq; quod verſu ultimo ait propheta, fore ut Iſraëlitæ deportentur ultra Damaſcum, Evangeliſta fidem hiſtoriæ ſacræ & rei geſtæ veritatem ſpectans explicat, quod non tantùm ultra Damaſcum, ſed etiam ultra Babyloniam deportandi fuerint: quippe quorum nonnulli tum in Perſia, tum in regionem Caſpiorum longè ultra Damaſcum ſunt abducti. Confer eventum* 2. *Reg.* 17. 6. & 18, 11. *Eſræ* 7, 17. & *horum duorum verſuum facilè deprehendes convenientiam, Joſeph, l.* 9. *ant. c. ult.* & *l.* 11. *cap.* 5.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 18.)

I. Deus non patitur ſibi illudi, ſeu, ut habet ἔμφασις græci verbi, & μυκτηρίζεται, *naſo adunco non ſuſpenditur impunè Gal.* 6, 7. *ſed ſuos, ſuorumque miniſtrorum illuſores, aliis in exemplum, punit graviſſimè, ut teſtantur exempla,* 2. *Reg.* 2, 13. 2. *Chron.* 36, 16. 2. *Pet.* 2, 6, 7. *ſicut comminatus eſt Eſa.* 28. 14. & 57, 4. *Prov.* 3, 34. & *proinde etiam illos illuſores non ſinet tandem impunè evadere, qui illudunt iis, qui de adventu Domini ad judicium extremum concionantur* 2. *Petr.* 3, 3. *Epiſt. Iud. verſ.* 18.

II. Piis adventus & dies Domini eſt gaudium Luc. 21. 28. *Pſ.* 98, 4. 5. 6. 7. 8. 9. *impiis vero eſt mera triſtitia, ipſorum vitio, Matth,* 24, 51. *Luc.* 12, 46.

Ex verſ. 19.)

Dei omnipotentis & irati manum effugere nemo poteſt Pſ. 139, 7. 8. 9. 10. *Hobadi. v.* 4. *infra c.* 9, 2, 3. 4. *exemplo eſt Jonas propheta Jon,* 1, 3. 4. Dei manum nemo effugit.

Ex

Ex verſ. 20.)

Deus eſt autor lætitiæ & triſtitiæ.

Deus eſt, qui creat tenebras, & format lucem, facit pacem & creat malum Eſa. 45, 7. quod impiis terrori, piis verò conſolationi eſſe poteſt Pſ. 85, 1. &c. de qua lætitiæ ac triſtitiæ viciſſitudine loquuntur hæc dicta inſignia, quod Deus poſtquam fecit, ut experiremur anguſtias magnas & malas, rurſus vitæ reſtituat nos Pſal. 71, 20. Thren 3, 20. 21. 22 &c. Hoſ. 6, 1. 2. con ſilio ſuo deducis nos, ut poſtmodum in gloriam recipiat nos Pſal. 73, 24. cum momento fuit in ira ſua, ſtatim vita adeſt ex benevolentia ejus; veſpere facit ut diverſetur fletus, manè verò adeſt cantus pſal. 30, 6. paululum caſtigati plurimùm afficiemur bonis Sap. 3, 5. ad momentum parvum derelinquit nos, ſed miſerationibus magnis congregat nos, pauculo fervore abſcondit faciem momento à nobis, ſed benignitate ſempiterna miſeretur noſtri Eſa. 54, 7. 8. Confer etiam Johan. 16, 16. 20. 22. Roman. 8, 18. 2. Corinth. 4, 17.

Ex verſ. 21.)

Externis rebus ſolis non colitur.

Cultibus externis ſolis, à quibus abeſt interna devotio & pietas vera, Deus nihil quicquam colitur Matth 15, 9. Joel. 2, 13.

Ex verſ. 22.)

Sacrificia malorum ſpernit.

Sacrificia impiorum non habet accepta Deus Pſal. 51, 18. & 50, 8. 9 10. ſed ſacrificans laudem (dictis & factis) honore afficit ipſum, ibid. v. 14, 23. vide etiam Eſa. 1, 11. 12. 16.

Ex verſ. 23.)

Peccatores Deo nil gratũ præſtant.

A peccatoribus obſtinatis nihil gratum poteſt Deo præſtari: oratio eorum vertitur in execrationem Pſ. 109, 7. nec

7. nec exauditur Job. 9. 31. imò laus non est speciosa in ore peccatoris, quoniam à Domino non est immissa ei. Sir. 15, 9. nam statim improbo dicit Deus, quid tua? ut enarres decreta mea, & assumas fœdus meum in ore tuo Psal. 50, 16. &c. Facit autem hic locus contra murmura missificatorum, boatumq; monachorum ac monialium, quo templa ac sacella in papatu resonant. Vide D. Osiandrum & Winckelmannum, etiam ipsum Corn. à Lap.

Ex vers. 24.)

Justitiâ magis delectatur Deus quam sacrificio, Esa. 1, 11. 12.

Ex vers. 25.)

Deus solus vult à nobis coli, Exod. 20, 2. 3. 1. Reg. 18, 21. ex toto corde & omnibus viribus. Deut. 6, 5. Ille enim est verus Deus, unus, ibid. v 4. solus, Psal. 86, 10. præter quem Psal. 18, 32. extra quem 1. Sam. 2, 2. ultra quem 1. Reg. 8, 6. non est alius Deut 4, 39. nec ei similis 2. Sam. 7, 22. nec ullus Deus cum eo Esa: 44, 24. ille est Dominus Deus & non est amplius Joël. 2, 27.

Deus solus vult coli.

Ex vers. 26.)

I. Quando homines Deum verum verâ pietate colere nolunt, dat eos in sensum reprobum, ut relicto creatore adorent creaturas Rom. 1, 23. Conf. 2. Thess. 2. v. 10, 11.

Idololatræ dantur in sensum reprobum.

II. Si Israëlitæ, quibus Deus ipse apparuit Exod. 19. & 33. quibus sua judicia manifestavit Psal. 147, 19. 20. quibus verbum Dei propè erat Deut. 30, 14. quibus lex data, & concredita τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. 3, 2. quorum erant aliæ magnæ prærogativæ Rom. 9, 4. 5. 1. Pet. 2, 9. si/bi, inquam, potuerunt in tantam incidere idololatriam qualis

Israëlitæ potuerūt in idololatriam incidere, qvantò magis alii?

qualis cùm hîc, tùm alibi passim describitur, facilè colligere est, quid reliquis hominibus fieri possit. Hi enim etiam facilè ad idola muta quævis possunt abduci 1. Cor. 12, 2. veri Dei expertes Ephes. 2, 21. ut colant etiam opera manuum suarum, quæ fecerunt ipsi sup. v. 4. vide etiam Psal. 78. & 106. & 107. Chemnit. part. 4, Exam. Conc. Trid. L. 2. memb. 3.

Idololatræ puniuntur.

Ex vers. 27.)

Deus idololatriam peccatum maximum maximis afficit pœnis, qua de re jam suprà aliquoties. Ille enim est Jehova, hoc est nomen ejus, gloriam suam non daturus est alteri, nec laudem suam sculptilibus Esa. 42, 8.

CAPUT SEXTUM.

Versu. 1.)

IN hoc capite Amos primùm arguit populum in genere, deinde ditiores, potentiores, aut lautiores in specie, atq; ita; postquam conquestus est, quod ventri serviant ac luxui, non verò Dei præceptorum aut suppliciorum recordentur quicquam, pœnam exilij minatur. Præcipuè Samariam, id est, Israëlitas, comitanter tamen etiam Judæos fratres eorum ut scelere pares ita excidio quoq; non impares futuros alloquitur. Vide Chaldæam paraphrasin in vers. 12. & Hieron. Lyram, Vatablum, Corn. à Lap. in h. l. Cum enim jam sæpè ventura mala prædixerat propheta, & nihilominus suaviter conquiescere, ac sibi de præsenti statu gratulari videat cùm populum, tùm imprimis proceres, quasi ea mala ad se non spectarent aut pertingere possent, maledictione mala

eos

eos excitat, quæ denotatur voce væ initio versus primi expressè posita, & proinde ex usu linguæ sanctæ in reliquis quoq; membris & versibus subintelligenda, sicut itidem usurpatur illa particula passim 1. Sam. 4, 7. 8, Esa. 1, 4. & 5, 8. 11. 18, 20, 21. 22. Matth. 23, 13. 14. 15. Væ *(hebr.* הוי*, quod etiam quandoq; significat Heus Esa. 55, 1. Zach. 2, 10. 11. Piscator) igitur ob summam securitatem carnalem* tranquillis isti *(hebr.* הַשַּׁאֲנַנִּים *de qua voce vide quædam benè, quædam malè notata apud Corn. à Lap.)* Sione, *quæ est arx munitissima, & urbs regni Judæ primaria: & væ istis* fiduciam habentibus in monte Samariæ, *in quo urbs cognominis sita, suprà cap. 3, 9, c. 4, 1. & quia hæ urbes erant regum sedes in eis maxima habebantur conventus tum ad rem politicam, tum ecclesiasticam pertinentes; ideoq; ibidem reperiuntur illi,* qui nominantur caput, *id est, præcipuum* suarum gentium, *id est, principes in singulis tribubus, confer Num. 1, 17. Esa. 62, 8. unde refutat versionem Tremellij & Junij Piscator, quem inspice, sicut & Cornel. à Lap.* ad quos *velut ad oraculum confluebant*, ac convenire necesse habebant *tota* domus Israël. *Vulgatus: ingredientes pompaticè domum Israëlis, videtur pro* לָהֶם *quod est in textu hebræo; legisse* לָהֹם *cum strepitu & tumultu, qualis excitatur à populo, quando magnates cum magno adveniunt comitatu, & splendore, quod scriptura vocat μετὰ πολλῆς φαντασίας Actor. 25, 23. Ribera, ingredientes sibi, quasi sibi tantùm nati, se solos esse aliquid. Osiander.* Das sind die grossen stolzen Hänsen/ die auff Weltliche Macht pochen vnd trotzen/ gehen daher als wolten sie den Erdboden durchtretten.

Væ.

Verſ. 2. *Ecquid verò inquius, quàm vos bonis à me ſolo Deo veſtro vobis conceſſis ad faſtum ac inſolentiam tàm turpiter contra me abuti, & relicto me creatore hiſce confidere creaturis? Perluſtrate vos ipſi vicinas regiones, comperietis tanta à me in vos eſſe collata beneficia, quanta in nullo alio regno finitimo, quantumvis potenti & nobili, inveniri queunt.* Tranſite *enim* Calnen, *quæ eſt civitas opulenta in terrâ Sinear Gen* 10, 10. & adſpicite: *cum illam & regionem circumjacentem perquiſiſtis*, ite illinc Chamatam maximam, *nobile illud oppidum, quod toti regno ad montis Libani pedem ſito nomen dedit* 2, *Reg.* 14, 25. *& veſtræ terræ terminus eſt*, *Num* 13, 21. *cap.* 34, 8. *de qua urbe ſi plura ſcire deſideras, lege Corn. à Lap. qui hîc ſatis prolixus, & inſpice* 2. *Chron.* 8, 3. 2. *Reg.* 23, 33. *&* 25, 21. 1. *Matth*, 12. 25, *Zach.* 9, 2. tum porrò deſcendite *verſus meridiem (quò qui tendunt deſcendere in ſcripturâ plerumq́ dicuntur)* Gathum Philiſtæorum, *ad mare occidentale ſitum, videte poſſeſſionibus aliisq́ beneficiis eſſe vos illis omnibus nationibus finitimis prælatos, & tamen nullam refertis gratiam, ſed peccata peccatis cumulatis* An *enim* ſunt *illæ gentes* præſtantiores regnis hiſce *veſtris Judæ ac Iſraëlis? nequaquam. Quam negativam reſponſionem Rhetorica hæc innuit interrogatio, Joël*, 1, 2. An amplior eſt terminus earum termino veſtro? *nullo modo. Nam aut jam ſunt alieno ſubjecti imperio, aut certè tanta non fruuntur libertate, quantâ vos. Agnoſcite igitur veſtram felicitatem & ejus autorem me colite. Quod ſi non feceritis, vel aliarum regionum exemplo diſcite, quàm graviter Deus potentes punire poſſit & ſoleat, cum ſunt in ipſum ingrati.*

Calne.

Chamata.

Verſ.

Verſ. 3. *Sed, proh dolor, vobis à me hæc dicuntur, velut, quod ajunt in proverbio, ſurdo narratur fabula: ludificamini enim haſce prædictiones ſeveras, dum putatis nihil eſſe periculi, dicentes; Viſio illa, quam iſte videt, in dies multos eſt, & in tempora longinqua prophetat ille Ezech.* 12, 27. *Verum dum ita vobis applauditis & malum abeſſe falsò aſſeritis, idipſum magis attrahitis, ac ſi quis (quod ſimile habet Calvinus) admoneatur, qui febri eſt correptus, ne bibat vinum, ipſe autem reſpondet, ego ſoleo vinum bibere, non nocet mihi, dum ridet medicum, attrahit ſibi morbum. Nam væ vobis ita ludificando per luſum, ſomnium, & vanam opinionem* lóngè à vobis repellentibus diem mali *ſuprà cap.* 5, 13. *atq; ita hæc potiùs de conatu quàm eventu accipe, ſiquidem libentur ſi poſſent illi mali & injuſti hunc juſtitiæ diem repellerent, qui nihilo ſecius ex Dei decreto approperat. Corn. à Lap. exponit, non metuitis, juxta Ariſtotelem in Rhet. l.* 2. *c.* 4. *quæ longinqua ſunt, non metuuntur, ſciunt enim omnes fore ut moriantur. Et væ vobis ô judices, & quotquot autoritate polletis,* eò quod admovetis *iniquis veſtris judiciis* ſedem violentiæ, *amotâ juſtitiæ ſellâ, ac æquitatis ſolio depoſito, vis ac injuſtitia inter vos regnat, adeò ut muneribus corrupti à potentioribus imbecilliores opprimatis.*

Verſ. 4. *Væ vobis etiam divites, qui luxuriatis in rebus tàm ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, ut cibo v.* 4. *ac potu v.* 6. *tùm ad voluptatem potiſſimum inventis: ut lectis magnificentiſſimis, epulis exquiſitiſſimis v.* 4. *& muſica laſciva v.* 5. *D. Winckelman. Summa. Muſica Iſraëlitarum fuit rugitus aſinorum, & boatus boum,* — Abuſus rerum.

compotationes haustus vaccarum, mollities unguentorum instar meretricum. In quibus omnibus damnatur tantùm (1.) luxus & abusus donorum Dei, (2.) tempore calamitatis publicæ, (3.) isq́ sine ullâ pietate in Deum & charitate in proximum: quo sublato manet tamen pius & licitus usus. Conf. Sap. 2, 1. Jac. 5, 1. Joël. 1, 14. & c. 2, 16. Væ vobis accumbentibus *suprà c. 2. v. 8.* in lectis *regiis, quales sunt aurei & argentei. Est. 1, 6. propter raritatem* eburnei *Confer 2. Chron. 9, 17. 1. Reg. 22. 39. cum ebur ex India usq́ advehatur, quo tamen, quantumvis carissimo, vos ad luxum abutimini Ezech. 27, 15. in exornandis ædificiis suprà c. 3, 15. & lectis, hoc loco. Horat. lib. 2. Sat. 6. v. 102. 103. Plin. lib. 33 cap. 11. Væ vobis* etiam redundantibus *ac diffluentibus, vulgatus, qui lascivitis,* סָרַח *id notat, censente Mariana, vide Ezech. 17, 6. & 23, 15. Exod. 26, 13. Jer. 49, 7. magnis ac pretiosis vestibus, stragulis ac tapetis, quibus lectos discubitorios sternitis, ut vos ipsos lascivientes extendatis* κατασπαταλῶντες super spondas vestras, *ut satis benè reddunt græci. Confer 1. Tim. 5, 6. Jac. 5, 5. à quo multum differt* ἀπολάυειν, *quod Deus non improbat, sed concedit* πλουσίως *1. Tim. 6, 17. Væ vobis ita dissolutè discumbentibus & corda vestra cibo onerantibus* ac comedentibus agnos è grege, *hoc est, egregios ac optimos,* & vitulos *non quosvis obvios, & qui facilè haberi queunt, sed* è medio saginarij *1. Sam. 28, 18. Luc. 15, 23.*

Vers. 5. Et ad has epulas luxuriosas lascivam adhibetis musicam, quasi tempus esset lætitiæ, non verò tristitiæ, cum potiùs in hoc rerum statu sit vivendum in luctu, quàm luxu. Væ, *igitur & vobis* modulantibus

Ebur.

artificiosè, & velut more avium minurientibus super nablium, *aliaq́ instrumenta musica jucunda: siquidem eo uno aut altero non contenti varia* sibi excogitant *instrumenta musica; & ob hanc lasciviam reprehensi* Davidis *exemplo factum suum defendunt, quasi suis instrumentis musicis ad luxuriæ irritamenta, non autem pietatis incitamenta usus esset, quippe qui applicuit hæc ipsa ad pietatis exercitia, ut mentem ad Deum attolleret, & dum illa resonarent laudes Dei in templo, ipse rex unà cum aliis piis se erigeret ad pietatis studium, ut scribit hoc loco Calvinus, quod contra nonnullos ejus sectatores rigidiores, & organis musicis, quæ habentur in templis nostris, iniquiores, obiter notandum existimo. Hebræum* הַפֹּרְטִים *ita explicat Vatablus. Ad verbum, qui particularizant, id est, qui peritè canunt suam cantici partem. Doctius inter hebræos, uniunt se secundum chorum ita ut vox unius non sit similis voci alterius, ut fit in musica figurali.*

Organorum musicorum usus in templis.

*Vers.*6. *Væ deniq́* illis bibentibus in crateribus *in poculis capacioribus*, quique capite, *h.e. præstantissimo, ut vers.* 1. unguentorum *Psal.* 141, 5. *de more gentis Judaicæ* se inungunt *Sam.* 12, 20. *Eccl.* 9, 8. *Luc* 7, 38. 46 *Matth.* 26, 7. *Psal.* 104, 15. & 23, *vers.* 5. *Matth.* 6, *vers.* 17. *Sap.* 2, 7. *atq́ adeò omnis generis delectamenta studiosè conquirunt, quasi nulla immineret clades ipsis aut tangeret jam tenues fratres. Ipsi enim immisericordes nullo communis miseriæ tanguntur sensu*, neq́; afficiuntur ulla ægritudine propter confractionem Josephi, *hoc est, Israëlitarum Psal,* 80, 2. & 77, 16. *sup, c.* 5, 6. *dum à potentioribus misera jam opprimitur plebecula,*

Joseph. i. e. Israëlitæ.

cula, & mox omnes sint abducendi in captivitatem suprà c. 5, 27. ærumnas has populi & instans illud Dei judicium per sana consilia, per emendatioenem vitæ, per preces, per leges pias & sanctas non conatur magistratus avertere ac amoliri, ita Hier, Lyra. Sa. Marian. Vatabl. Vel per contractionem Josephi speciatim illam intelligit cladem, quæ præcipuè Manassis tribui trans Jordanem habitanti acciderat, à Syris illata, ex quâ nondum convaluerat 2. Reg. 13.4.17, 22. Respicit ad historiam ipsam Josephi Gen. 37. quem dum fratres in cisternam conjecerant, ipsi interim suaviter epulabantur.

Vers. 7. Idcirco *hanc comminationem gravissimam subjungit propheta, quod contemptum sui Deus sit puniturus captivitate, & tantum luxum magno luctu. Nam sicut illi heluones, de quibus hactenus, primi fuerunt in luxuria, etiam primi erunt in deportatione & miseria, siquidem* jam nunc deportabuntur inter primos (*hebr.* בְּרֹאשׁ. *ita ut ipsi sint primi, confer quæ dicta in locum Mich 2, 22. Com. & in Exerc. bibl, p. 450, edit. 3*) mox migraturos *& illis inferentur præcipua judicia, in quos collata erant præcipua beneficia:* Tunc *abscedet epulatio lascivientium,* cessabit, amovebiturq; designatio redundantium, *quâ unicuiq; suum locum ac modum sedendi, bibendi, surgendi modiperatores scribunt* סָר מִרְזַח סְרוּחִים *quæ verba quidam hoc modo exponunt. Et accedet luctus redundantium, sensu eodem. Vide R. D. K. de his, & de bibendi arbitro illos, qui in Horatium commentati sunt in od. 7. lib. 2. stropha ult. & lib. 1. od. 4. Plaut. in Asinar, Plin. 14, c. 12. confer notas Junij & Jer. 16, 5.*

Designatio redundantium.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex versu. I.)

I. Duplex est tranquillitas, altera bona, quâ alios non perturbantes propria vocationis officia præstamus, Deo confisi. Et hæc à Deo est mandata. Esa. 30,15, *1. Theß.* 4,11. 2, *Theß.* 3,12. 1. *Pet.* 4,15. *& ab eo roganda* 1. *Timoth.* 2, 2. *altera mala, quâ in publicis calamitatibus soli nós immergimus deliciis, quasi communi miseriâ non tangamur, & hæc à DEO reprehenditur Proverb.* 1,32, *Esa.* 22,13. *&* 32. 9; 11. *Jerem.* 48, 11. *Zachar.* 1, 15. *Luc.* 12,19. — Tranquillitas bona & mala.

II. Maledictus qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum, à Jehova autem recedit animus ejus Jer. 17,5.6, *& pereunt qui confidunt in opulentiâ suâ, Psal.* 50,8. 14. 15. 16. *& Psal.* 52,7. 9. — Creaturis non est confidendum.

III. Improbi etsi quandoq; in hoc seculo sunt viri magni nominis Ps. 73,4. 6. *tamen non tantùm in generatione altera deletur nomen eorum Psal.* 109,13. *sed etiam in cœlis nomina ipsorum non sunt scripta Psalm.* 69,29. *Apoc,* 17,8, *& quantum glorificaverunt seipsos ac luxuriati sunt, tantum datur eis deinde tormenti ac doloris Apocal.* 18,7. *Ne igitur accendaris æmulatione propter maleficos, & ne invideas eis hanc felicitatem Psal.* 37,1. *neq; timeto, cum aucta fuerit gloria eorum, Psal.* 49, 17. 18. 19. 20. 21. *quem locum omninò hîc inspice. Osiander. Hodie etiam Germani nimium de suis viribus gloriantur, quasi omnibus aliis nationibus sint superiores. Sed meminiße debebant, longè potentiores populos eße devictos, & sedibus suis ejectos, aut certè in servitutem re-* — Improborum gloria nó durat.

 dactos.

dactos. Atq, utinam apud omnes Germanos gloriationi virtus responderet!

Ex verſ. 2.)

Imperia à Deo. *I. Omnia imperia ſunt à Deo conſtituta Rom. 13, 1. Joban. 19, 11. & ab eodem, ſi abutuntur ſuâ potentiâ, deſtruuntur ſup. c. 5, 9. c. 4, 11. Homines autem Epicuræi non ideo Remp. capeſſunt, quod aliis conſultum velint; ſed dominium in alios quærunt, ut liceat, quod libet.*

Bona corporalia, itidem, pro ejus arbitrio. *II. In bonis corporalibus Deus agit liberrimè, dans unicuiq; quantum ipſe vult Matth. 20, 15. ut hâc bonitate homines invitati quærant ipſum Act. 17, 26, 27.*

Ex verſ. 3.)

Scriptura audiendo loquitur κατὰ δόξαν. *Vide ſup. c. 5, 11, 18. Quibus adde, quod multa dicantur in ſcriptura κατὰ δόξαν. Gen. 18. 1 & 19, 1. 1. Sam. 28, 13. Luc. 15, 7. 1. Cor. 1, 21. Gen. 32, 24. Exod. 20, 4, 18. Pſal. 69, 29. Matth. 9, 12, 13. Matth. 3, 5. Phil. 2, 21. Non enim hi ſuis dictis futilibus repellebant diem mali, ſed animo excæcati adhuc longinquum eſſe putabant & dicebant, ut ita etiam verbum hoc ſit accipiendum de dicentis affectu, non effectu.*

Ex verſ. 4.)

Damnatur luxus in veſtitu. *Luxuria in veſtitu & in ornatu reliquo externo damnatur vide Eſa. 3, 16. Ezech. 7, 20. Matth. 11, 8. Luc. 7, 25. & 16, 19. Plerumq; enim veſtitus, riſus & inceſſus produnt hominis ingenium Sirac. 19, 27. & Deus minatur Soph. 1, 8. (in quem locum quæ dicta in Comm: p. 33. 34 ſi placet, vide) ſe animadverſurum in omnes, qui induuntur indumento alienigenarum vide 1. Petr. 3, 3. 1. Tim.*

1, Timoth.2,9. & qui juvat illis superbire, quæ sunt nostræ miseriæ indicia? Gen. 3,21.

II. Luxus in cibo reprehenditur Eccl.10,14. Luc. 21,34. Rom. 13,13. Deut. 21,20. Ac profectò hodie eò res redierunt in Germania, ut existimem, si Israëlitarum luxus in conviviis cum nostri seculi moribus conferretur, Israelitas frugalitatis laudem esse adepturos: maximè taxatur, quando voluptatibus operam dantes Remp. negligunt. Osiander. — in cibo.

Ex vers. 5.)

I. Abusus musicæ damnatur sup. 5,23. Esa. 5,12. Exod. 32,18. Ecclesiastæ 2,8. Daniel. 3,5. Matth. 6, 2. quæ propterea est hominibus concessa, ut Deum laudent, & se honestè recreent 2 Sam. 6,5. Psalm. 4,1.2. Chron. 5,12. Psal. 150,3. &c. Eph. 5,19. Sirac. 44. 5. Coloss. 3,16. — in musica.

II. Duo cum faciunt idem, non est idem, quia non fit ex causis iisdem. Confer sacrificium Cain & Abel Gen. 4,3. ascensum in templum, & preces ibidem fusas à publicano & pharisæo Luc. 18,10. Applicari hæc possunt operibus piorum & impiorum, quæ sæpè nobis videntur eadem, cum sint diversissima, illa Deo placeant, hæc displiceant. — Duo cum faciunt idem, nó est idem.

Ex vers. 6.)

I. Ebrietas est vitium gravissimum, Deoq; valdè exosum Esa. 6,11. Vinum nimium cor aufert Hos. 4,11. in quo multiplex asotia est Eph. 5,18. cui qui se dedunt indignos se reddunt regno cælorum, tùm gratiæ, tùm gloriæ 1 Corinth. 5,11. & 6,10. Gal. 5,21. ut Nabal, 1. Sam. 25,8, 11,36. dives epulo Luc. 16,20.21. Vino igitur moderatè — Ebrietas reprehenditur.

ratè utendum 1. Tim. 5, 23. quia ita cor hominis lætificat Jud. 9, 13. Psal. 104, 15. Sir. 40, 20. Aliàs hic est observandum, quod ante de toto h. l. notatum, Licet rebus à Deo nobis etiam ad voluptatem datis uti cum gratiarum actione piâ in piè institutis conviviis, ad quæ invitatos Christus jubet accedere Luce 14, 10. & ipse vocatus accedit Johan. 2, 2. Matth. 9, 10. vide Joël 1, 12. Calv. lib. 3. Inst. cap. 10. Ita videmus, id quod deplorat hic Amos, etiamnum subinde fieri, optimates & magistratus, qui sua quærunt, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in convivia expendunt, dies in epulis transigunt, rem pauperum & populi negligere, jura habere venalia. &, ut verbo dicam, rempubl. perdere, imò hosti, si is eam emere velit, prodere. Nam, ut ait Pythagoras apud Laërtium l. 7. in civitates primò deliciæ irrepunt, mox saturitas, deinde violentia, deniq. excidium. Vide sapientissimi regis monita Prov. 31, 4. Eccl. 10, 16. Corn. à Lap. Et jam ante seculum scripsit Franciscus Lamberti, Profectò non licet cuiquam etiam Regi esuriente populo & indigente necessariis, exigere ab illis eorum substantiam, quâ illis crudeliter pereuntibus ipsi in deliciis vivant: quin potiùs divendita atq. distractâ propriâ substantiâ debent populorum commissorum succurrere egestati. O durum verbum tyrannis, Christi hostibus & lupis rapacibus; verè non video, quâ ratione justi ac Deo grati esse possint credentium magistratus & principes, qui ad nihil aliud adnituntur, præterquam ad pompam, superbiam, vanitatem, ludos, comessationes, ditandam familiam, multiplicandas domos &c. Hæc tum ille.

II. Flen-

II. Flendum est cum flentibus sup. c. 5. 1. ἀπάθειαν *Stoicam Deus aversatur, Rom. 1, 31.*

ἀπάθεια damnatur.

Ex versu 7.)

Securos ac luxu diffluentibus inter oscitantes opprimit calamitas, ut ostendunt exempla Dan. 5, 5. Luc. 12, 20, & 17, 26. & c. 21, 35.

Securos malum opprimit.

PARS QUINTA,

Versu 8.)

Cum videret propheta comminationibus, hactenus à se Israël nomine Dei denunciatis, non haberi fidem, quæ tamen erant eos certissimè oppressuræ, nisi resipiscerent, hanc suam concionem conclusurus, ut aculeos relinquat in auditorum animis, tùm decreti divini immutabilitatem, tùm mali eventuri gravitatem valdè exaggerat, sic porrò instans: Quod si mihi, aliisq́ prophetis Dei non creditis, credite saltem ipsi juranti Deo. Ego siquidem ex ejus revelatione verè scio & dico, conclamatum & actum esse de vobis in hac impietate perhistentibus. Juravit *enim* Dominus Jehova per suam animam *h. e. seipsum Gen. 22, 16 sup. c. 4, 2. Hebr. 6, 16. 17. Neq́ hoc tantum est meum hominis miseri verbum, qui possim mentiri Rom. 3, 4. si absq́ hac inspiratione divina foret, quæ non fallit Esa. 24, 16. sed hoc est* dictum *ipsius* Jehovæ, *qui mentiri nequit, Tit. 1, 2. 2. Tim. 2, 13. & satis potens est adcomplendas hasce comminationes, cum sit* Deus exercituum, *cui omnes creaturæ tanquam summo Imperatori serviunt vel ad nutum, infrà vers. 11. Matth. 8, 9. Juravit autem hoc, quod quidem elegerit vos in suum peculium, sup. c. 2, 4, 9. c. 3, 2. sed quam*

Declaratur decreti divini immutabilitas.

vos non sitis sancti, sicut ipse est, verùm peccetis ut gentes prophanæ, fore ut etiam, sicut illæ, puniamini: Sic enim ait, detestor ego fastum Jacobi, & palatia ejus odi *sup. c. 5, 22. quibus confidunt potius, quàm me Deo suo, sup. vers.* 1. *Ideoq; ut appareat vanitas hujus confidentiæ,* ego civitatem, *quam ipsi somniant esse inexpugnabilem, in potestatem hostium* tradam, *postquam illam undiq; cinxerint, coangustaverintq;, quæ est verbi hebræi emphasis. Neq; tantùm potientur civitate, sed etiam omnibus, quæ sunt in ea, sive sint homines, sive facultates,* imò quæcunq; implent eam, *id est, phrasi hebræâ, plenitudo ejus. Vide quæ dicta Comm. in Mich.* 1, 2. *p.* 12, 16. *Alij quidem illa verba* גְּאוֹן יַעֲקֹב *hoc loco de templo accipiunt ut Ezech.* 24, 21. *alij de terrâ sanctâ & Hierosolyma, ut Nahum.* 2, 2. *Ps.* 47, 5. *sed quia scopus prophetæ est, causam excidij superventuri hoc loco indicare, meliùs sine dubio statuimus, intelligi fastum & superbiam Israëlitarum, de qua suprà aliquoties conquestus est propheta.*

גְּאוֹן יַעֲקֹב

Vers. 9. *Porrò idem exaggerat malum præcedens illi adjectum, nempe pestem, qua etiam intra urbem cadent non minus, quàm extra eam bello. Nam* erit, si relicti fuerint vel decem *id est, aliquot homines* in domo una, ut tamen moriantur, *nondum defuncti omnibus calamitatibus c.* 5. 19 *c.* 2, 14. *licet ab hoste non sint occisi: morientur enim certissima fame aut peste, quod completum esse videtur* 2. *Reg.* 17 5. *Cum verò nominat propheta decem, Synecdochicam esse locutionem, quivis facilè intelligit, qua numerus certus pro incerto ponitur, ut Levit.* 26, 26. *Zachar.* 8, 23. *Num* 14, 22. *Joh.* 19, 3.

1. *Sam.*

1. Samuel. 1, 8. Psalm. 91, 8. suprà c. 5, 3. confer cap. 1, 3. cum autem hic agebatur de consumptione summa seu finali summam vel finem digitorum in numeris propheta adhibuit.

Vers. 10. *Describitur autem pestis hujus gravitas alio adjuncto, nempè quod ob multitudinem morientium, vespillonum libitinariorum & pollinctorum, quorum opera apud Judæos requirebatur ad ritè curanda funera, non possit fieri copia, sed amici, imò propinqui cogantur demortuis hoc officij genus præstare & eos ad sepulchrum efferre, Potest n. vox* דוד *propriè de omni dilecto & amico, vel impropriè per Synecdochen pro patruo accipi.* Cum *igitur peste absumptum* tollet aliquem, *per metalepsin, hebr. familiarem, in humeros sublatum efferet* amicus ejus, *vel propinquitate sanguinis, vel necessitate summa adductus ad præstandum hoc officium & facienda justa, aut quicunq; tandem futurus est in hac calamitate* ustor ejus, ut *efferat sive* educat saltem ossa é domo *: vel quod ob malignitatem pestilentialis contagionis, caro sit putrefacta & vix ossibus hæreat, vel quod cum unus non poterat totum solus portare cadaver, coactus sit domi carnem comburere, ut saltem ossa condere queat sepulchro. Quamvis n. aliàs solerent corpora apud Judæos terræ mandari, tamen in magnâ peste aut aliâ insigni strage combusta etiam leguntur, tùm quod qui ritè curarent funera non essent, tùm ne tetro odore, qui exhalat ex patentibus sepulchris, amplius aër inficeretur : tùm speciatim in bellis, ut prospicerent hac ratione, ne corpora ludibrio exponerentur, vide 1. Sam. 31, 12, atq; ita hoc loco* מְסָרְפוֹ *ponitur pro* מְשָׂרְפוֹ *ob commu-*

דוד

Aliquando apud Judæos corpora sunt combusta.

meliora sperabant, & prophetæ verbis haud credebant, nunc subjicit, certissimè illa futura, quæ hactenus sunt prædicta, quia Deus dicit, qui, quoniam suum prophetam non audiebant, aliis est præcepturus, nempe Assyrio ac Chaldæo, qui alio modo concionentur. Nam ecce Jehova *omnipotens, cujus nutum observant omnia, saltem* præcepturus est, *hoc est, decreturas & simul dictum factum per decretum facturus, Psal.* 148. 5. *Esa.* 7, 18. dum percutiet *per hostes* domum majorem fracturis, & domum minorem fissuris *seu rupturis h. e. unamquamq; funditus evertet. In priori membro est nomen* רְסִיסִים *quod propriè aspersiones significat, ut Cant.* 5. 2. *id quod etiam Radix ejus indicat, Ezech.* 46, 14: *hoc loco verò idem valet, quod* רְצִיצִים *id est, fragmina, frustula Ps.* 68, 31. *ob cognationem, quæ est inter* רָסַס *&* רָצַץ *id est, contrivit, conquassavit. Sic etiam Cornel. à Lapide.*

Vers. 12. *Præcipiet autem ista omnia & perficiet Deus, quia hanc impietatem vestram diutius non potestis auferre inultam, siquidem non magis potest consistere hæc vestra improborum Respublica, quàm potest in petra præcipite equo curri, vel in rupe durissima bobus arari. Hæc verò cum fieri nullo modo queant (quam sententiam hujus loci iterum interrogatio adhibita indicat) intelligitis etiam, fieri deinceps non posse, ut abeatis impunè.* An *enim* cursuri sunt in petra equi? An arabit quis eam bobus? *(hebraicè* בַּבְּקָרִים *quod est commune nomen omnibus animalibus majoribus, quib. homines in labore utuntur, unde Synecdochicè pro bobus accipitur, & hinc in latio fluxisse crediderim, bucerum pecus, bu-*

teriæ. vide Joël. 1, 18. *jumenta vocant latini, quod homines juvent. Quemadmodum verò hoc non usu venit, sic nec futurum est, ut vos inoffenso ita pergatis pede:* nam mutastis in cicutam *seu venenum Hos.* 10, 4. jus, & fructum justitiæ in absinthium *supr. cap.* 5, 7. *illud quod planum est, effecistis ut asperum, ac ut in eo multi offendant, adeò ut cadendum sit etiam vobis ipsis meritò, velut è rupis præcipitio, & moriendum velut cicutâ potâ.*

Vers. 13. *Hæc sententia scopo prophetæ magis convenire, & simplicitate suâ alias explicationes vincere videtur, (D. Brentius, quemadmodum nemo potest arare petram, sic nec ego queo verbo Dei vestra corda emollire. Drusius. Qui justitiam in absinthium convertunt, tam absurdè faciunt, ac ij qui per rupes inaccessas velint equis currere, aut bobus arare. Calvinus. quemadmodum equus in petra non potest currere, sic nec beneficia mea inter vos possunt continuari. Lyra; cogitis me vos conterere, ut cogitur equus in petra currere,) quam porrò sequentia etiam satis manifestè comprobant: Putatis quidem, vestrum regnum adeò firmum esse ac stabile, ut hostis nullus sit metuendus vobis: Insolescitis valdè arroganter, eò quod rex vester aliquot jam obtinuerit victorias,* 1. *Reg.* 14, 25. *Hanc felicitatem vobis tribuitis, O miseri; sed* ô vos lætantes de nihilo *(hebraicè* לְלֹא־דָבָר **daß nicht werth ist/ daß man davon sage oder den Mund aufthue/ darumb man kein einig Worth verlieret/** *de eo quod non est quicquam) Corn. à Lap. exponit de creaturis, quæ non sunt, nisi in quantum à Deo factæ & conservantur, Deus a. solus propriè est & Jehova verus, creatura ve-*

rius

rius umbræ ejus respectu, unde Deus solus sapiens Rom. 16. 17. potens, immortalis 1, Tim. 6,15. 16. dominus Esa. 37,20. pius Apoc. 15,4. qui dicitis: Nonnè assumpsimus nobis cornua nostro robore, *& vires amplificavimus nobis? Certè ita est: quam affirmationem arrogantem hoc loco ex interrogatione licet elicere. De significatione illa vocis cornua vide Comm, in Mich, cap. 4. v. 13. pag. 122, 123.*

Vers. 14. Sed reverà omnia sunt vana & futilia, & videbimus, num possitis consistere coram Assyriis & Chaldæis. Ecce enim ego excitaturus sum *brevi* contra vos, ô domus Israël, dictum Jehovæ, Dei exercituum, gentem, qui prement *& coangustabunt* vos *undiq; ab uno terræ vestræ termino ad alterum*, ab aditu, *inquam*, Chamatæ, *termino, qui orientem respicit, aquilonem versus, Jos. 13.5. 2. Reg. 14,26. Num. 34,7. 8. Zach. 9,2.* usq; ad torrentem deserti, *Sichorem videlicet, qui terram Israëlitarum ab Ægypto separat ad austrum, & respicit versus occidentem, Num. 34,5. 8. Deut 3. 17. Jos. 13, 3. 1. Chron. 13. 5. ubi desertum erat, Joël. 1, 20. Et denotatur hoc loco voce* עֲרָבָה *planicies deserta, cui opponitur* שְׁפֵלָה *id est, planicies culta Jos. 12. 8. Deut. 1, 7. Esa. 27, 11, 12. Quoniam verò ex locis adjunctis, subjecta materia, & ipso opposito termino liquet, hîc intelligi illum torrentem, qui Judæam ab Ægypto, quæ erat ei versus meridiem & occidentem contermina separat: Nilus autem hoc nequaquam facit, quippè qui Ægyptum potius ipsam dividat, facilè est colligere, quid sentiendum sit de magnis seu Commentariis, seu commentis potius Riberæ in hunc paragraphum, qui-*

Sichor.
עֲרָבָה
שְׁפֵלָה

bus probare nititur, fluvium, de quo loquitur propheta noster, esse Nilum, contra prophetam & Geographorum fidem. -

LOCI COMMUNES.

Ex versu. 8.)

Deus cur juret.

I. Deus hominum causâ, ut tantò firmius dictis suis credant, jurat, tam in promissionibus, ut ad certam confugiant misericordiam Gen. 22, 16. *Ps.* 132, 11. *Joh.* 16, 23. *quàm comminationibus, ut certam effugiant iram Ps.* 95, 11. *Hebr.* 8, 4. *Unde Tertull. O beatos, quorum causa Deus jurat; ô miserrimos, si nec quidem juranti Deo credimus siquidem qui non credit Deo, mendacem eum facit, hoc est, fidem illi derogat ut mendaci* 1. *Joh.* 5, 10.

Superbiā odit Deus

II. Deus superbiam extremè odit 1. *Johan.* 2, 16. 1. *Petr.* 5, 5, *Dan* 4. *ult.*

Mors peccati pœna.

III. Observa, quod Deus de Deo loquatur, filius de patre, & uterq; vocatur Jehova, uterq; igitur est verus æternus Deus. Osiander. Deus pater jurat cum Filio in Spiritu Sancto, ita innuit in textu hoc S. S. Trinitatis mysterium. D. Winckelm.

Ex versu 9.)

Stipendium peccati mors est. Rom. 6, 23. *Nam per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Rom,* 5, 12. *Ps.* 90. *à,* 3. *ad* 9. *v. Oportuit enim impleri comminationem divinam Gen.* 2, 17. *Confer Ps.* 39, 12. 1. *Cor.* 15, 55. *Dan.* 9, 11. *& facilè respondebis Socino quærenti, ubi hoc scriptum in sacris literis, quod mors sit peccati pœna. Est enim hoc τὸ*

ἀνά-

δικαίωμα τ͂ Θεοῦ, *quod qui peccatum faciunt, sint morte digni Rom.* 1, 32.

Ex verſ. 10.)

I. Aliqua maledictionis divinæ pars eſt in impiis juſtâ carere ſepulturâ Deut. 28, 26. 1. *Reg.* 21, 23. 24. 2, *Reg*, 9, 33. 35. *Jer.* 16, 4. & 22, 18. 19. (Schindergrube) *Quàndoq; tamen etiam pios hoc malum tangit Pſ.* 79, 2. 3. *vide Auguſt. l.* 1. *C. D. c.* 12. Inſepulti & impij, & pij.

II. Etiam oſſa hominum ſunt terræ mandanda, vel in locum tutum reponenda. Quemadmodum oſſa Joſephi ex Ægypto translata ſepeliuntur Exod. 13, 19. *Joſ.* 24, 32. *Oſſa Saulis & filiorum honorificè terræ mandantur* 1, *Sam.* 31, 12. 2. *Sam.* 21. *v.* 12. 13. *Fuerunt enim pars corporis humani, quod honore afficiendum, tàm in vita Col.* 2, 23. *quàm morte Tob.* 4, 3. 5. *Sir.* 38, 16. & 7, 35. & 30, 19. Oſſa etiã ſunt ſepelienda.

Rationes iſtius honoris corpori debiti poſſunt reddi hæ (1.) *quia debetur honos Deo opifici, qui mirandâ arte ſingula condidit membra, adeò ut etiam corpore ſuo homo ſit* μικρόκοσμ☉ *Job.* 10, 8. & 33, 4. *Pſ.* 139, 5. (2) *quia fuit templum Spiritus Sancti, & organum multarum actionum divinarum* 1. *Cor.* 3, 16. 17 & *c.* 6, 15 19. 2. *Cor.* 6, 16, (3.) *quia reſuſcitabitur & imagine Dei ornabitur Job.* 19, 25. 1. *Cor.* 15, 49. *Rom.* 8, 18. 30. *Phil.* 3, 21. *Tertull, in lib. de reſurr. carnis, & Auguſt. l.* 1 *C. D. c.* 13. Corpus humanum cur honorandum?

III. Nulla calamitas ſola, comminatur Deus hîc Iſraëli gladium, & præterea famem ac peſtem, & ut habet Heſiodus, λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν: *velut Matth. cap.* 24, 7. ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ καὶ σεισμοί.

Ex verſ. 11.)

Deus malis præcipit.

Deus calamitatibus, velut ſuis miniſtris tantùm præcipit, vel ut veniant, vel ut abeant Matth. 8, 9. 2. Reg. 7. 1. Pſal. 105, 31.

Ex verſu 12.)

malos punit, impiis non favet:

I. Deus ſceleratos impunitos dimittere non poteſt Eſa. 32, 17. Pſ. 94, 20, 2. Cor. 6, 15. Eſt enim juſtiſſimus Pſ. 119, 137. Falſus eſt igitur Socinus de ſervatore, ita ratiocinans. Qui poteſt de ſuo jure remittere, quantum vult, poteſt condonare peccata absq; ſatisfactione. Deus illud poteſt. E. Reſp. negando minorem, non defectu potentiæ (veræ, activæ) ſed perfectione naturæ, quia non vult, ut in verbo revelavit, nec ſe poteſt abnegare. Nec valet inſtantia: Ergo minus poteſt, quàm nos. R. conced. de ἀδυναμίαις. Neq; etiam nos poſſumus remittere quantum volumus de jure: ſemper enim id fiat, ſalvo jure tertij, Dei, magiſtratus, parentum, legis &c.

II. Benignitati Dei locus præcluditur impietate. Pſal. 18, 27. Deut. 28, 63.

Ex verſu. 13.)

Homo eſt cæcus.

I. Ea eſt humanæ mentis poſt lapſum cæcitas, ut vera bona non videat, neq; iis lætetur: Contrà verò rebus vanis & nihili gaudeat, quæ in miſeriâ deſcribenda ferè totus eſt Salomonis Eccleſiaſtes. Pſal. 4, 7. Joël. 1, 16.

Impij ſibi, pij Deo bona tribuunt.

II. Impij, quæ non ſunt ipſorum, ſibi tribuunt Dan. 4, 30. Luc. 18. 11. 12. & ſic rebus ſecundis animi hominum efferuntur & criſtas erigunt. Pij verò contrà omnia ſua Deo accepta meritò referunt Pſ. 44, 6. 7, 8. & Pſal. 89, 99, 17, 18. 1. Reg. 8, 24, 1, Cor, 15. 10,

Ex

Ex versu. 14.)

Juxta comminationem suam legis transgressoribus obstinatis factam hostes Deus ipse excitat & immittit Deut. 28, 51. 52. 1. Reg. 11, 23. sup. 4, 10. Deus hostes immittit.

CAPUT SEPTIMUM.

Argumentum.

C*Um Deus multis modis olim patribus loqui consuevisset Joël. 2, 28. Hebr. 1, 1. & hactenus per Amos suam voluntatem revelasset solo verbo; nunc deinceps, ne quid finxisse putetur propheta, sed divinitus omnia revelata omnes intelligant quæ protulit, in visionibus idem exilium aliasq; calamitates id præcessuras denunciat, si fieri possit vel hoc modo à vitâ sceleratâ ac idololatriâ abducerentur Israëlitæ. Sunt autem visiones prophetæ nostro ostensæ quinq; quarum tres priores locustarum, ignis & perpendiculi continentur hoc capite, cujus summa hæc est.* Cur deinceps visiones sequantur.

Deus in visione ostendit primò *sub imagine locustarum futuram ingentem famem ac magnam omnium rerum penuriam.* Deinde *typo ignis omnis generis clades bellicas præfigurat, ubi propheta cùm has plagas imminere sensit, ut eæ revocentur, Dominum ardenter orat & exorat.* Tertiò *typo perpendiculi deportationem & excidium innuit, ibi quia propheta desperatum videbat populum, pro ipso non amplius intercedit, sed tam huic populo, quàm regi ipsi impendentia mala prænunciat.* Quartò; *Hac prophetæ παῤῥησίᾳ offensus Amazia sacerdos* Summa Cap. 7.

Bethe-

Bethelis prius prophetam apud regem graviter accusat seditionis, postea fugam suadet fraudulenter, & hac occasione propheta, suam cum aperuisset vocationem divinam, ipsi mala plurima comminatur.

Ἀνάλυσις
Partes duæ
I. Tribus typis tria judicia toti Israëli obventura adumbrat.
1. famem
2. clades bellicas.
3. totalem eversionem & deportationem

Partes *capitis, pro duplici prophetiâ, quam continet, possunt constitui* duæ: *quorum* prior publicam, *eamq;* tripartitam: Posterior privatam *judiciorum Dei denunciationem continet.* Illa *tria judiciorum genera ad totum Israëlitarum regnum spectantia tribus typis adumbrat.* I. *Famis maximæ per locustas à Deo peculiariter formatas significatæ v,* 1. *quam deprecante Propheta v.* 2. *Jehova tollit v.* 3. *II. Belli, omniumq; calamitatum ei conjunctarum, quæ ut ignis nomine in scriptura vocantur, supra cap.* 1, 4. *Ita hic sub ignis specie præmonstrantur v.* 4. *Pro quibus malis auferendis itidem intercedens apud Deum Amos v.* 3. *exauditur v.* 6. *III. Totalis eversionis regni & deportationis in captivitatem perpendiculi, quod in manu Domini, stantis super murum, imagine declaratæ v.* 7. *&, quod posset videri obscurior hæc visio, à Deo ipso explicatæ de omnimodo excidio totius regni atque adeò omnis in eo status œconomici v.* 8. *Ecclesiastici ac Politici v.* 9.

II. duo habet, Occasionis narrationem, ubi fraus duplex,
1.
2.

Hujus *verò privatæ scilicet prophetiæ, contra Amaziam directæ* duo sunt membra: Occasionis narratio: & minarum divinarum explicatio: Illa *exponit duplicem hujus fraudem: Unam, quod prophetam calumniosè de conjuratione ac seditione apud regem accusat v.* 10 *sic veris falsa remiscens, ut regis ad vindictam incendat animum vers.* 11. *Alteram, quod subdolè suadet prophetæ, ac specie fucatæ ac fictæ benevolentiæ, ut fugiat*

Bethe-

Bethele, & ex toto Israelis regno in terram Jehudæ patriam: causas afferens hujus sui consilij desumptas à facili & utili v. 12. & deniq; ab inhonesto, alteram religiosam, alteram civilem, quod sit inconveniens, externum hominem in eo concionari loco, qui & cultui divino peculiari præstando, & rebus forensibus dijudicandis est destinatus v. 13.

Explicatio *ipsa* duo habet, *nempe & hujus* consilij fallacis refutationem, *quæ in divinæ & extraordinariæ vocationis assertione consistit, cujus summa est: Cum non essem propheta vel ortu, vel institutione, vel successione, sed bubulcus, qui sycomoris facilè tolerare vitam didiceram, & proinde ventris causa non necesse habebam prophetare, v. 14. Deus peculiari mandato hoc mihi injunxit officium, ideoq; illud omninò exsequi cogor v. 15.* & judiciorum *ob hanc fraudem Amazjam manentium* recensionem: *quum enim Deum audire nollet per prophetam loquentem ex gratia v. 16. cogitur eum audire sententiam ferentem ex irâ, tum contra omnia, quæ sunt ipsi, uxorem, liberos, possessiones, tum ipsum v. 17. Si malis, etiam hoc modo hanc prophetiam potes dividere, in Amazjæ intentionem calumniosam & dolosam: & depulsionem seu responsionem Amos, quæ est partim pro ipso, partim contra ipsum adversarium.*

& minarum divinarum explicationem, ubi fraudis refutatio,

& judiciorum recensio.

PARS PRIOR,

Vers. 1.)

Scopus duarum visionum priorum est, ut ostendat propheta, Deum voluisse & potuisse aliquoties Israelitas perdere, ideoq; non esse, quod sibi de præsenti felicitate

Scopus harum visionum.

 applau-

applaudant: Hæc enim potius prophetis & pauculis piorum reliquiis, quàm suæ pietati aut potentiæ debent, quippe qui pro illis apud Deum iratum intercesserint. Tertiæ verò scopus est, ut indicet tandem obstinatos miserè perire: quo cognito in anagoge seu applicatione visionum melius procedent omnia.

I. Visio locustarū, in qua notanda quatuor. 1. Quis. 2. Quid. 3. Quomodo. 4. Quando.

Earum prima *est* locustarum, *in qua* notanda *sunt hæc*, quatuor: 1. *quis.* 2. *quid.* 3. *quomodo.* 4. *quando denunciet. Quod ad primum spectat: In prima & secunda visione satis disertè indicatur, quis hæc prophetæ revelaverit, nempe* Dominus Jehovi, *Deus ille verus, unus essentia, trinus personis, Quid verò ostendit hic?* quod ecce formaret locustas, *(seu præsocuridas, vide Junium ad Esa. 33, 4. hebr.* גֹּבַי *de qua voce vide Drusiū, & si velis ridere inscitiam in lingua hebræa maximam cum audacia, quâ plerumq; omnis ignorans laborat, conjunctam, inspice Corn. à Lap. qui putat esse nomen in regimine non attendens puncta, neq; accentus, neq; vocem sequentem, neq; etiam ipsum sensum verborum) famis futuræ certos prænuncios, Joel. 1, 4. Sic Lyra, Vatablus, Arias & alij, quamvis contrà quidam intelligant per eos Assyrios. (3.) In visione hoc ostendit, id est, prophetæ stylo,* sic fecit videre me. *(4.) & quidem eo tempore,* quo succrescit herba sera, *& quidem ea herba sera, quæ exorta erat* post detonsiones Regis, *postquam scilicet herba prima frumenti luxurians in agro regio in usum & esum jumentorum esset resecta (ita sentit etiam Clarius) quemadmodum in agris felicioribus, utpotè Babyloniæ, similiumq; fertilium regionum vicinarum providus agricola.*

In agris fertilibus prima herba depascitur.

— Ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenerâ depascit in herbâ,
Cum primùm sulcos æquant sata: ut scribit Virgil, 1, Georg. v. 100

Quum verò illa prior nimis læta herba erat vel resecta vel depasta, alia oriebatur tenerior, quæ deinde succrescebat in culmum ac ferebat frumentum, quæ si lædebatur ab insectis, omnis spes repullulationis ac frugis decollaverat miseros agricolas, ac fames omninò erat metuenda. Non igitur fœnum hoc loco per vocem לֶקֶשׁ intelligimus, quod est resectum gramen: multò minus cum vulgato lat. interprete imbrem serotinum, qui appellatur מַלְקוֹשׁ vide Joël. 2, 23. & differunt hæc duo, licet ab eadem sint Radice, quæ ratio à Corn. à Lap. addita non militat, idem est cum לֶקֶשׁ, quia ab eadem Radice: à particulari procedit & nil concludit: consulendus enim est scripturæ & linguæ usus. sed herbam primorem tritici & reliqui frumenti, ut tantò meliùs hæc visio famem ingentem, quæ pressura sit homines, adumbret. Quemadmodum igitur in visione ostendit Deus prophetæ, quod ipse tum fingeret locustas, non quidem communi naturæ cursu utens, sed peculiari modo producens, (quæ est verbi hebræi יָצַר quando de Deo usurpatur, emphasis- vide Chemm. pag. 1. L. C. l. 4. cap. 1. m. 3. Confer Gen. 2. 8. 19. Psal. 74, 17. Esa. 43, 1. 7. 21. Zach. 12, 1. Aliàs de hominibus dictum notat materiæ formam inducere novam, ut plastes ex ligno vel ære statuam, figulus in luto ollam format) quæ spem segetis in teneris culmis ostensam post detonsiones planè præriperent, Sic colligendum hinc propheta relinquit, etiam

לֶקֶשׁ

יָצַר quid propriè notet.

futurum fuisse in populo Israëlitico, ut postquam vix ali quantulum à prioribus cladibus ac damnis, quibus ferm erat absumptus, se recollegisset, & vires resumpsisset, novi à Deo fingerentur ac emmitterentur hostes, qui omnia deprædarentur, non secus ut locustæ, nec minor omnium rerum penuria ex illorum immissione, quàm harum sequeretur. Per tonsiones regis pleriq; intelligunt tempus, quo tonderi solebant greges. Vis videre versionum errores circa h. l. inspice quæso Comm. à Lap. videbis ex גזי *(quod rectè legere non potuit à Lap. scribens Ghizzi, committens tres errores in uno vocabulo) fieri Gog, Og, Gazam &c. mira certè metamorphosi. Id rectè idem à Lap. subjicit & Castro: herba luxurians notat res Israëlitarum florentes, tondentur à Benhadado rege Syriæ, repullulant per Jeroboamum 2. Reg. 14, 25. sed tum Phul cum magno exercitu involat, ut locustæ, verum tamen ad prophetæ aliorumq; intercessionem, non planè perdit Deus Israelem 2. Reg. 15, 20.*

Vers. 2. Subjicitur autem, quomodo factum sit, quod populus non ita sit planè absumptus, nempe quia propheta, alijq; pij suâ intercessione apud Deum id prohibebant, quod his verbis denotatur. Fuit verò cum *vel*
אִ[illegible] εἰ i. e. post quam, *postquam, (ita namq; hoc loco particula* אִ[illegible] *pro* כַּאֲשֶׁר *accipienda est, ut Gen. 38, 9. Num. 36, 4. & εἰ Rom. 8, 21. Act. 4, 9. & 11, 17.)* absolveret *locusta* comedere herbam terræ, *cum in eo erat, ut non modo fruges teneriores, sed etiam reliquas omnes herbas terrà nascentes usq; ad radices devoraret, ita ut non possent regerminare, sed pestiferum, ultra opinionem, exhalarent odorem; ut loquitur Oros. l. 5, cap. 11.* dicerem ego *propheta Amos:*

Domi-

Domine Jehovi, condona obsecro *Joel.* 2,17.18.
19. *quia quem affligis, est Jacob, & quidem valdè attritus.*
Si enim pergis, quis stabit *ac superstes erit* Jacobo?
Nemo prorsus: imò omnes cadent, hoc est calamitatibus
hisce peribunt, supra c. 5,2. Nam parvus admodum
est: *ne itaq; perdas hasce reliquias, ut ne blasphement gentes*
nomen tuum, Psalm. 79,6. *&* 88,9. *&* 90,13, *&* 130,3.

Vers. 3. *Hæc est oratio prophetæ, quæ quantum*
substringitur verbis, tantùm diffunditur sensibus, ut a-
licubi scribit Tertull. (de orat. Dom.) parva quantitate,
magna fide, ut ostendit insignis ejus effectus. Hujus e-
nim rei Jehovam pœnituit, *hoc est, ut, quod ἀνθρωπο-*
παθῶς de Deo dicitur, divino more explicemus, senten- Deum
tiam decreti sui hominibus mutare visus ac id facere quod quomo-
hi solent, cum eos rei alicujus pœnitet: Sic Gen. 6,6. *Jon.* do pœni-
3,10. *Exod.* 32,14. *Aliàs propriè Deum non pœnitet,* teat.
1. *Sam.* 15,29. *& proinde per ἐξήγησιν hoc ita explicatur,* II. Visio
non est hoc futurum, dixit Jehova, *quod ostendit se* ignis.
facturum ex justitiâ, jam non statim faciet ex misericordiâ,
si forte resipiscant Israelitæ.

Vers. 4. Secunda *visio, ut tractatione, sic & ar-*
gumento priori similis, illius quasi confirmatio est, (con-
fer Gen. 41,25,26,31.) *& notat regnum Israelis excidio*
destinatum esse certissimo; quod quò minus jam antè in-
duxerit Deus, factum esse piorem intercessione. Hoc
tamen interest, quod tantò majorem Dei indignationem
ostendat, tantoq; graviores calamitates portendat, quàm
præcedens, quantò vis ignis, quàm locustarum sævior, &
vitari minùs potest. Ita autem habet hoc ὅραμα: Sic

 osten-

ostendit mihi Dominus Jehovi, *quod* Ecce *(qui Spiritus S. asteriscus attentionem excitat, unde & in praecedenti visione, bisq; in sequente, infra quoq; cap. 8, 1 semel adhibetur. Confer Comm. in c. 53. Esa. subjectum. Psalmis passionalibus pag. 413.)* ipse Dominus proclamaret, se contendere *& judicare velle Israëlitas* igne, *gravissimis quibusq; calamitatibus bellicis, aestu praeterea immodico, siti magna & illis omnibus malis, quae sunt tanta & tam ineluctabilia ac ignis,*

Ecce..

Ignis.]

cujus sumpserunt magnas incendia vires;

sup. c. 1, 4. Joël. 1, 15. 19. Esa. 66, 16. Ezech. 38, 22. לָרִיב *autem contractè pro* לְהָרִיב *ponitur ut Prov. 25, 8. Job. 9, 3. infra 8, 5. Buxt. thes. p.* 116. 137. 520. *Osiander. Existimo per hunc ignem significari Boream ventum, qui frigore exurit vineta. D. Winckelm. Quidam per ignem hic intelligunt intensissimum & diuturnum aestum, unde ariditas, siccitas & magna frugum calamitas. Alij exercitum, qui instar ignis & magnis incendij regnum Israëliticum sit vastaturus, id per regem Syriae Hasaelem esse completum existimant.*

Alij paulò aliter explicant, hoc modo: quod Ecce Deus advocaret, puta angelos voluntatis suae & judiciorum administros, ut ipsi contenderent ignem. Postquam *verò ille ignis typicus* comsumpsisset abyssum magnam *(Hebraicè* תְּהוֹם *quae vox aliàs magnam aquarum vim & colluviem inordinatam significat, quomodo etiam confusam illam, rudem, indigestamq; materiae, primitus à Deo ex nihilo creatae, molem notat Gen. 1, 2. & consequenter, quia in illa nihil videri aut numerari potest, multitudinem imperscrutabilem Ps. 36, 7. Hoc loco verò*

תְּהוֹם

notat

notat eam aquarum vim, quæ & sub & internâ, qua fœcundatur, ut ita innuatur, eâ absumptâ sterilitatem ac vastitatem esse secuturam maximam, vel potius aquam ipsam, hoc incendio supernaturali etiam absumptam esse vide Exemplum 1. *Reg.* 18, 38. *quâ aliàs naturalia restingui solent incendia, ut sciamus fuisse hoc malum, quod portendebant hac visione, tantùm, cui nulla ope humanâ vel creaturarum medela afferri poterat: quippe, qui ignis non tantùm aquam quàm plurimam* consumpsit, *sed etiam postea* portionem quandam *agri, planè supra & contra naturam: quandoquidem sensus omnino postulare videtur, ut ita vocem* חֵלֶק *b. l. accipiamus. Vide suprà* 4, 7. *Hos.* 5, 7. *ac malum quodvis inevitabilè intelligamus. Est qui speciatim hoc impletum esse vult, tum cùm Tiglathpileser rex duas tribus & dimidiam transportavit, atq; ita partem regni Israelis amplam seu abyssum quandam absumpsit* 1. *Chron.* 5, 26. *Esa.* 9, 1. 2. *Reg.* 16, 9. & 15, 29. *Quod ut nec omnino improbo, ita nec planè probo, quod nimis generalem hanc divinam comminationem coarctare videatur. Tertull. & Jun. per abyssum intelligunt Syriam, per portionem partem terræ Israelis, sed neq; hoc simpliciter verum. à Lap. Judicium hoc ignis in Israelem exercuit Deus per Tiglathpileser qui velut ignis invasit & Gilbadem vastavit velut abyssum circa Jordanem humiliore loco sitam.* 2. *Regum* 15, 29.

חֵלֶק

Vers. 5. *Quomodo verò etiam hoc malum specie ignis adumbratum sit aversum, porrò ferè eodem modo declarat Propheta, quo suprà v.* 2, 3. Cum enim diceret, ipse, *& quivis pius futura mala providens:* Domine-

mine Jehovi, desiste obsecro *ab hac tantâ indignatio ne tuâ, cessa nunc à plagis tuis : Nam si ita pergis*, quis restabit Jacobo?

Vers. 6. Pœnituit Jehovam *misericordem* etiam hujus rei, & dixit Dominus Jehovi, *hac piâ intercessione commotus : Etiam* hoc non est futurum, *sed sublevabitur populus meus Israel etiam hac vice, & jam ab hac liberabitur angustia.*

III. Visio perpendiculi explicatur.

Vers. 8. *Tertia visio prophetæ oblata docet, impios obstinatos digna suis sceleribus luere supplicia, eaq; ex justitia Dei non posse non iis infligi, eosq; tandem omninò perdi. Quod malum totalis excidij, quò est præcedentibus gravius, eò etiam à Deo ipso explicabitur diligentius, & quidem per dialogismum, quem nunc propheta instituit, ut ad perpendendam hanc visionem accuratius excitentur securi, si qui adhuc suæ salutis essent futuri memores : quandoquidem hæc non tantùm pœnam, sed exitium denunciat, non tantùm à Deo proponitur, sed etiam exponitur. Quanquam enim hoc loco nomen Deî non præfigitur, tamen ex v.* 14. *facilè potest suppleri ex scripturæ analogia, quæ docet, omnem prophetiam (qualis etiam hæc sine dubio) divinam divinitus inspirari, Joel,* 2, 20. *Sic ergo inquit propheta,* ostendit mihi *tertiâ vice, quod (ecce)* Dominus ipse stabat, *seu constitutus erat (hebr.* נִצָּב *ad indicandum firmum stantis habitum)* super murum libellæ *vel perpendiculi h. e. ex usu linguæ hebrææ, ad perpendiculum erectum, quod est chorda seu linea latomi aut fabri, in cujus extremitate est plumbum,* & in manu *Domini* illius erat perpendiculum, *Hebraicè* אֲנָךְ, *quod hebræi scribunt,*

נִצָּב

אֲנָךְ

pro

propriè in sermone Arabico notare stannum, & deinde per metonymiam, sumi pro stanneo perpendico, sicut בְּדִיל *usurpatum Zachar.* 4, 10. *Vulgatus vertit trullam cæmentarij, quæ est instrumentum, quo latomi, reliquiq́ fabri murarij muros cæmento oblinunt (Kelle) & incrustant, ad fortitudinem & elegantiam, Em. Sa. qua de explicatione videndus Lyra & Ribera; ac prolixè à Lap. quasi dicatur h. l. ego deponam hanc trullam: qua hactenus ipsos velut munij, & restauravi, & tradam nunc planè perdendos Assyriis: quemadmodum si faber non amplius oblinat murum, ubi rimas egit, corruit, Cum vero fundamento certo careat, nec satis benè cum seqq. conveniat, nos eà missà sensum hujus visi rimabimur.* Per murum *verò* intelligit *hoc loco propheta* populum Israëliticum, *quem Deus contra hostes suos effecerat murum æneum. Et* primùm *ut murus à se ipso non exsurgit, sed à fabro extruitur: ita illa non ex seipso ad tantam pervenerat potentiam, sed à Deo ad eam dignitatem erat evectus, qua reliquis gentibus præcellebat.* Deinde *ut murus insistit fundamento: Sic Israëlitæ promissionibus Dei in Christo factis, & fide applicatis, tantùm poterant consistere, à quo fundamento cum se averterint, mirum non est, quod sint corruituri. Quemadmodum verò hic murus olim à Deo ad perpendiculum erat exstructus ex gratiâ h. e. ita perfectè apud Israëlitas tam regimen Ecclesiasticum, quàm politicum constitutum, ut nihil deesset: sicut ille murus ad perpendiculum est erectus, qui rectus est, neq́ in hanc, neq́ in illam partem inclinat quicquam; ita etiam nunc deinceps diruetur ad perpendiculum ex justitiâ, ut ita sit in*

אֲנָךְ
בְּדִיל

posteriori membro libella seu perpendiculum judiciorum Dei exactissimum ad amussim & normam legis quadrans quam optimè, sicut dicimus, ad amussim eum facere judicium, qui exquisita diligentia exactissimaq; curâ id instituit, ac velut bilance penderat, æstimatq;, vel rectissimà trutina ac statera examinat, metaphora à fabris hoc loco traducta; qui non modò funiculo illo suo ac amussi lignorum, sed etiam perpendiculo cujusvis structuræ operisq; æqualitatem explorant, & si quam inde inæqualitatem vel muri pravitatem perspexerunt, ad id corrigere solent: Sic etiam Deus, quando ad legis suæ normam facta hujus populi confert, maximam ibi pravitatem reperit, quæ quia deinceps corrigi ob hominum obstinatam malitiam nequit, demoliri, vastare & prorsus exscindere eum necesse habet, quicunq; Ecclesiæ fundamento vero Christo Jesu verâ fide non insistit rectius. Sic Arabicus Antiochenus (quem citat & non intelligit à Lap.) vertit: Dixit mihi Dominus, quid est hoc, quod vidisti? & dixi, est lex; & dixit Dominus mihi, Ecce ego confirmo legem in medio populi Isaael, & non adjiciam declinare ab eo. Sanè benè, quia notatur, fore ut ex lege puniantur, & omnia ipsorum mala facta rigidè ad legem velut amussim exigantur. Et ut breviter contraham hactenus dicta: Quemadmodum ad libellam prius exegit structuram populi sui Israelis, dum eum tanquam ædificium affabrè factum ad amussim curaverat, ornaveratque: Ita deinceps ex contrario, ad libellam exacturus est destructionem ejus, ut totum hoc regimen reddatur simile ædificio, quod æquatur solo. Efficiam (inquit Deus) ut populus Israeliticus destruatur ob suam irre-

ctitudi-

clitudinem, sicut murus destruitur, quum irrectitudo ejus per libellam explorata atq; deprehensa est. Piscator. Hic mihi sensus hujus loci videtur esse optimus, quem tantò sequor tutiùs, quod non tantum aliis scripturæ testimoniis ac dictis optimè consonet, 2. Reg. 21, 13. Thren. 2, 8. Esa. 28, 17. & 34. 11. sed etiam cum sequentibus satis benè conveniat.

Vers. 8. Cum *enim* dixisset Jehova prophetæ, quid vides Amos? & ille dixit, libellam: dixit Dominus: Ecce ego brevi sum dispositurus (*Mariana & Sa, ponam trullam, desinam eos fortificare & protegere*) libellam in medio populi mei Israëlis, *non ut ædificem, sed ut destruam Deut. 28, 63, infr. c. 9. 4, 8. siquidem deinceps non condonabo neq; connivebo, ut hactenus factum,* neq; pergam amplius præterire ipsi, ich wil jhnen nit lang übersehen *confer Act. 17, 30. Num. 23, 25. metaphora ab illis, qui dissimulant se videre, atq; ita connivent, vide suprà c. 5, 17. infra c. 8, 2. sed quibus duabus rebus potissimùm confidit, nempe sanctitate cultus divini, & potentia regis, ab iis destituetur ambabus, & tam status Ecclasiasticus, quàm politicus, tam populus quàm regis familia miserè concidet.*

Vers. 9. Nam desolabuntur excelsa Isaaci; *quæ populus ex κακοζηλία Bersabæ in collibus erexerat, vide suprà c. 4, 13. & 5, 5. vel quæ in memoriam immolationis Isaac exstructa, quod tamen, quia incertum est, minùs probo,* & sanctuaria Israëlis (*quæ nomine saltem & opinione vulgi talia, infr. v. 3,*) *in Dan & Bethel ædificata* in solitudinem redigentur: quum priùs insurrexero, contra domum Jeroboami gladio, *quod erit signum reliquarum cladium publicarum. Confer eventum*

cum his prædictionibus descriptum 2. Reg. 15, 10. & c. 17. Neq; est, quod quemquam turbet literarum cognatarum ש *&* צ *in voce Isaac permutatio: siquidem cum Radices* שחק *&* צחק *idem ferè notent sensu, nomen aliud, quod h. l. & infr. v. 16. Psal. 105, 9. Jer. 23, 17. extat, idem est cum eo, quod aliàs occurrit in Bibliis Genes. 17, 19. & 21, 3. 6. D. Winckelm. Data opera permutatione literæ populo exprobrat, se sacris istis rideri, q. d. excelsa irrisionis. Alij altaria risus, id est, ridicula ac deridenda seu risu digna Jer. 10, 15. & 51, 18. vide Baruch. c. 6. Theodoretus censet dici aras risus, quod idololatræ apud eas, conviviis, hilaritati, risibus, cantibus & lusibus vacarent, ut Exod. 32, 6.*

LOCI COMMUNES

Ex versu. 1.)

I. Omnis prophetia est à Deo hominibus inspirata, supra 1, 1. Et in hisce tam parvis, per quæ tam mira efficit sæpe Deus magnosq; domuit tyrannos, maximè elucet Dei omnipotentia, id quod h. l. satis benè exaggerat à Lap.

II. Omnis generis insecta sunt à Deo tanquam à justissimo judice, Joël. 1, 4. 6. & 2, 11.

Deus novit temporum articulos.

III. Temporis notatio indicat, Deum suæ reservasse omnipotentiæ temporum articulos tam in bonis, quàm malis inferendis. Act. 1, 7. Psal. 9, 10.

Ex versu. 2.)

I. Verbi divini ministrorum etiam hoc est officium, fideliter apud Deum pro suis intercedere auditoribus. Joël. 1, 13. c, 2, 17. sup. c, 5, 1. quando autem venturo malo

suis

suis precibus verbi divini ministri non occurrunt, graviter de iis Deus conqueritur sup. c. 5, 1.

II. Vivi pro vivis possunt & debent orare Job. 42, 8. Jac. 5. 16. Eph. 6, 18. Exempla probata sunt Abrahami Gen. 18, 28. Isaaci Gen 25, 21. Mosis Exod. 17 11. Pauli Phil. 1, 4. Pro defunctis autem ut oremus, non mandatur, vide Chemnit. pag. 3. Exam. concil. Trid. L. 4. & art. 21. A. C

Vivi pro vivis intercedãt.

Ex versu 3.)

I. Dominus mortificat & vivificat 1. Sam. 2, 6. 7. supra 5, 20.

II. Oratio pij ex fide profecta propositum Dei (puta cum conditione) potest avertere Gen. 19, 21. 22. Exod. 32, 10. 11. & semper plurimum potest Jac. 5, 26. Sir. 35. 19. Unde etiam credenti omnia sunt possibilia, puta, quæ Deus promisit, quo verbo promissionis ille nititur Macc. 9, 23.

Oratio pij multũ potest.

Ex versu 4.)

Deus vocat non tantum res inanimatas sup. c. 5, 8. Psal. 50, 1. 1. Reg. 8, 1. sed etiam ea, quæ non sunt ut sint. Roman. 4, 17. Confer Joël 2, 11.

Deus vocat quæ non sunt.

Ex versu 5.)

I. Brevis sit oratio verbis, sed multa & magnifica fide Matth. 6, 7 & 7, 21. 22. & 23, 5. 1. Reg 18, 26. seqq.

Oratio brevis.

II. Pauci sunt electi Matth. 20, 16. & pauci salvantur Matth. 7, 14. Luc. 13, 23. 24. qui sunt parvus ille grex, cui placet patri dare regnum Luc. 12, 32 Nam desiit pius, & defecerunt veraces ex filiis hominum Ps. 12, 2. Imò ipsi pij plagâ affecti quotidie Psal. 73, 14 orare necesse habent: Domine festinantes præveniant nos miseratio-

Desiit pius.

nes tuæ. Nam attenuati sumus valdè Psalm. 79, 8. 9. quod verò non sumus planè absumti his malis, summæ benignitatis Jehovæ est, Thren. 3, 22. Confer. Psal. 124, 1. Esa. 1, 9.

Ex versu. 9.)

Non secundum peccata nostra.

Non secundum peccata nostra facit nobis Deus, Psal. 103, 10. sed bis terq; reducit animam viri è fovea Job. 33. 28. 29. 30.

Ex vers. 7. & 8.)

Deus qualis erga pœnitentes & impœnitentes.

Excipientium eruditionem & castigationem miseretur Dominus Sir. 18, 13. 14. 15. sed si improbus non convertitur, gladium suum acuit Psal. 7, 13. 14. Proinde ne dixeris, securè peccaveram: Ecquid verò mihi contigit mali? Nam Deus est longanimis, ita tamen, ut etiam citò possit irasci si non converteris Sir. 5, 4. 5. Est enim Deus fortis Zelotes, Jehova ultor, excandescens in hostes suos Nahum 1, 2. 3. 4. 5. 6.

II. Quando Deus scelera hominum severè examinat, necesse est, ut exitium inde sequatur.

Ex versu. 3.)

Idola gentium pereunt cum suis cultoribus Ps. 115, 15. supr. c. 4, 13 & 5, 5. Osiander. Impios reges & principes idololatricos quandoq; Deus ita evellit, ut regna ipsorum ad alias familias transferantur. Sed si etiam piis principibus interdum talia evenerint, sciant, sibi & piæ suæ posteritati regnum cæleste esse paratum.

PARS

PARS POSTERIOR.

Verf. 10.)

Poftquam Amos vifiones tres expofuit populo, & in earum tertia excidium imminens indicavit, fubjungit hiftoriam quandam, quæ Ifraëlitas omninò obftinatos, corrigi nefcios ac deniq; tales fuiffe docet, quales hactenus funt defcripti, inprimis cap. 5, 10. quod oderint corripientem in porta, abominentur eum, qui loquitur jufta ac recta. Et quoniam ea erat conjuratio, ut omnes eadem æquò ftuderent, nollentq; omnia, neq; declinatum quidquam ab aliorum ingenio ullum reperires, itaq; adeò uno animo omnes Ifraëlitæ oderant prophetas, Deoq; fuo effe adverfos æquè ftudium erat, fimilisq; pertinacia, ut meritò in eodem omnes viderentur ludo docti ad malitiam, ac verè diceres, omnia effe fimilia, omnes congruere, unum cognôris, omnes noris, & porrò ei ludo, fi ullus erat, magiftrum hunc Amaziam effe fatis certò fciebat Amos, porrò exponit, quid poft tot falubres conciones habitas, ipfi ab Amazja fit oppofitum gratiæ, videlicet ut feditionis ac impietatis accufàretur ipfe pius, & contra hic impius antiftes nihil quicquam cum fuis curaverit has Dei minas. Nam cum & non multò ante dixerat Amos, ne itote Bethel c. 4, 4. & 5, 5. & jam in proximâ vifione nomine Jehovæ intonuerat: defolabuntur excelfa Ifaaci, v. 9. facilè cernebat animo hic facerdos Bethelis, fuum quæftum & autoritatem hoc imminutum iri, quod ferre haud poterat: Sed ut hunc prophetam abigat, prius brachium feculare advocat per calumniam; deinde fugam fuadet per fallaciam.

Scopus & occafio fequentis hiftoriæ.

In

In accusatione notanda veniunt praecipuè haec tria. 1. *Quis ejus autor.* 2. *Apud quem instituta.* 3. *quâ de re.* Tum *enim, cum ita Amos praedixisset destructionem excelsorum Isaac, & desolationem sanctuariorum Israëlis* misit Amazja sacerdos & *antistes sacrorum Bethelis, qui etiam sine dubio fuit illius loci praefectus regius, sicut tùm temporis fieri solebat extra Judaeam, ut idem in utroq; statu, Ecclesiastico dico & politico, vel teneret omninò primas.*

rex idem hominum, Phoebiq; sacerdos:

ut Maro Ethnicus canit 3. Æneid. v. 80. Vel saltem praecipua administraret simul officia. Cujus rei quoq; vestigia extant in sacris Gen. 14, 18. 19 & 41, 45. (Joseph filiam ducit רכהן *Confer etiam 2. Sam. 9, 4. & 1. Chron.* 18, 17. *& facilè videbis, vocem* כהן *quae hoc loco extat & saepè sacerdotem notat, quandoq; quemq; signare primarium ministrum seu praefectum. Job. 12, 19. confer quae dicta in exerc. bibl. edit. 3. p. 58. misit, inquam,* ad Jeroboamum regem Israëlis *Dominum suum per internuncios ita* dicens: Conjuravit contra te, ô *rex.* Amos *propheta Jehovae palam & publicè, h. e. scripturae stylo,* in medio domus Israël, *Prov. 5, 14.* neque potest terra haec diutius sustinere haec omnia ejus verba *nedum ego, aut alius tibi devotus minister.*

כהן

Vers. 11. *Quem n. nostrum non mordeant vehementer ista, quae profert,* cum sic ait Amos: Gladio morietur Jeroboam, Israël autem omninò migrabit è terra sua, *sicut per calumniam, quod propheta dixerat sup. v. 9. de domo ac familia regis, ad regem ipsum transfert Amazja, ut tantò facilius regis inflammet animum, & ut invi-*

diam

diam conciliet, bis nomen ejus proprium, quod onus notat, (prolegom. memb. 1.) reperit. Ubi etiam obiter notanda emphasis verbi קָשַׁר, *quæ propriè significat ligavit: sed in hac constructione (cum* עַל *) sæpissimè notat conjuravit,* 1. *Samuel.* 22, 8. 13 1. *Reg.* 15, 27. & 16, 9. 16. 2. *Reg.* 9, 14. & 15. 10. 25. & 21, 23. 24. & 24, 21. 25, 26. & 25, 27. & 33, 24. *quod græcè quidem satis benè diceres,* συστροφὰς ποιεῖται, *coitiones clandestinas facit: Latinè verò, quanquam barbarè, longè rectiùs vim verbi expresseris ligam fecit, vel germanicè,* sich verbinden. *Vide tractatum de Fœderibus.*

Vers. 12. *Quum autem accusando & terrendo nihil proficeret, fraudulenter consulendo idem conatur, ut, quod ajunt in proverbio, assumeret pellem vulpinam, quo non pertingeret leonina. Nam* deinde dixit Amazja: Videns, (*Mariana hîc valdè incertus est, quomodo debeat verti, certè citra ullam justam causam. Si tamen tanti esse putas, vide ejus notas*) *supr. cap.* 1, 1. *bonorifico eum appellans titulo lingua ipsius adulatrix tacito veneno blanditur* *Ps.* 5, 10. & 12. 3, 4. & 28, 3. & 55. 22. *ut solent falsi fratres, &, qui vulgò jam audiunt POLITICI,* abi aufuge tibi, *tuo bono ac commodo. Buxtorf Thes. p.* 419. in terram *patriam* Jehudæ, *ubi sunt cognati, ac propinqui tui, cum hîc sis extraneus, & cum hîc nemo tibi de victu prospiciat, ubi si prophetaveris* comedere poteris panem tuum. Illic igitur prophetato, *quasi hic esset noster Amos ex eorum numero, qui ob pugillum hordei panisq; buccellam prophetant. Ezech.* 13, 19. *Mich.* 3, 11. Mali politici.

Vers. 13 Bethele verò, *ubi ego cum multis aliis*

cultum divinum curo ex mandato regis, supr. v. 4, 4 c. 5, 5. ne pergo amplius prophetare: nam & sanctuarium regis est. & domus regia: *neq; minùs sanctus hic nobis locus est, quàm vobis Hierosolyma: ideoq; non decet te in eum ita debacchari.*

Vers.14. Hactenus quid molitus sit Amazja contra prophetam Amos; sequitur. quid hic responderit: Tum *enim constanter ac intrepidè, ut Johannes Baptista Johan. 1, 19. 21.* respondit Amos, *& quis ipse sit, & cur prophetet, Amazjæ primùm declarat; deinde eidem propterea, quod id vetaret, quod Deus mandaverat, pœnas gravissimas denunciat.* Ego *enim, inquit, neq; temeritate, neq; ambitione me in hoc munus ingessi, neque etiam ullo consilio humano ad idipsum adhibitus sum,* Non eram propheta, neq; filius, *id est, discipulus* prophetæ, *qui fuerit in prophetarum collegio, quomodo usurpatur vocabulum filij, cum aliàs sæpè, tum in his locis 2. Regum 2, 3. 5. 7. 15. & 4, 38. & 6, 1. Esa. 8, 18. Marc. 10, 24. 1. Corinth. 4, 14. 17. sed miser* bubulcus eram *supr. c. 1. & nequaquam is, qui victus causa velit prophetare, ut tu existimas, supr. v. 12. quippe qui didici vitam sycomoris, alijsq; fructibus ac rebus agrestibus tolerare, qui solebam in agro obvia* perquirere sycomora, *quæ Hieronymus ait fuisse rubimora* Brummelbeeren/ *quod brevitatis ergo, ut & alia minutiora, in his verbis persequi non licet. Fuisse autem ibi magnam istorum fruticum vel arborum copiam, ex his locis constat 1. Reg. 10, 27. Esa. 9, 20. Ps. 78, 47. Luc. 17, 6. & c. 19. v. 4. Prolixiora qui desiderat, adeat Comm. à Lap. qui nimis diligens in istis persequendis; Sufficit hîc scopum indicasse,*

Filij prophetarũ.

Sycomora.

Amos velle significare, se non lucri ergo prophetare, quum vilissimo cibo didicerit contentus vivere.

Vers. 15, *Cum verò nihil tale quicquam sperabam*, assumpsit me Jehova depost gregem, *id est, à grege Buxt. Thes. p* 523. *quem sequebar, ubi vel nomen* צאן *est generale, vel sumitur pro* בקר *vel certè & bubulcus & opilio fuit Amos*, & edixit mihi: Abi propheta *apud &* contra populum meum Israëlem: *bujusce ego jussum non exsequerer? bujusce ego domini ductum non sequerer?*

Vers. 16. *Quis verò tu es, qui contrarium mandas? Imò*, audi jam verbum Domini, *de te factum ad me:* Tu edicis *mihi*, ne propheta apud Israëlem, neque facito ut stillet, *tua prophetia (Confer Job.* 29, 22. *Ezech.* 21, 1. 7. *Mich.* 2. 6. *& videbis, esse verbum Dei quasi pluviam, fœcundantem cordis humani agrum Esa.* 55, 10. 11. *Luc.* 8, 12*)* apud domum Isaci, *atq; ita consilium Domini reddere cupis irritum, quod tamen non futurum est. Non enim is diffinget, infectumvè reddet, quod sapiens semel ore dixit: sed tu quicquid habes consilij, consumes nunc, cum mihi nihil obsint tui doli.* Prophetæ dicuntur stillare.

Vers. 17. Idcirco sic ait Jehova: *Omnis generis dolore cruciaberis, adulterij publici, orbitatis, spoliationis, rapinæ, captivitatis tuæ tuorumque:* Uxor tua palàm, *non domi*, in ipsa civitate scortabitur, *Deut.* 28, 30, *Job.* 31, 10. *quæ magna est viro afflictio, habere uxorem scortum tam propudiosum*, filij tui filiæq; tuæ gladio cadent *Deut.* 28, 41. & terra tua funiculo dividetur *Deut.* 32, 9, *vide quæ de funiculo dicta, & hoc illius*

lius usu Comm. in Psal. 16, *vers.* 5. *pag.* 65. Tu verò in terra *gentium* immundâ morieris *Levit.* 26, 38. cùm Israël omninò migrabit è terrâ suâ, *quod tu non credebas, supr. v.* 11.

LOGI COMMUNES

Ex versu. 10.)

Crux.

I. Veræ pietatis & confessionis comes est crux 2. *Timoth.* 3, 12. *Sir.* 2, 1. *Act.* 14, 22.

Fidelibus verbi doctoribus semper mali resistunt.

II. Veritas divina odium parit Job. 18, 38. *& semper sunt, qui veris ac fidelibus divini verbi præconibus resistunt: Mosi, magi Ægyptiaci Exod.* 7, 11. 2. *Tim.* 3. 8. *Eliæ, Baalis sacerdotes,* 1. *Reg.* 18, 21. *Michæ Prophetæ, Pseudo-Prophetæ multi* 1. *Reg.* 22, 24. *Christo, scribæ ac Pharisæi Matth.* 9, 11. *Luc.* 15, 2. *Stephano, sophistæ Act.* 6. 9. *Paulo Judæi Actor.* 13, 45. 50. *Elymas magus ib.* 8.

III Seditionis accusari solent à mundo, qui ejus carpunt flagitia, Jer. c. 26, 8. *Christus Johan.* 11, 45. *&* 19, 12. *Apostoli Actor.* 5, 28. *Paulus Act.* 16, 20. *&* 18, 13. *& c.* 24, 5. *Elias* 1. *Reg* 18, 17. *Stephanus Act.* 6, 13. *Moses Exod.* 5, 4. *supr.* 4, 1.

Ex versu 11.)

Calumnia vitanda.

Calumnia est, quando verba nostra in alium torquentur sensum Job. 2, 20. 21. *Matth.* 26, 61. *Job.* 8. *v.* 53. *Roman.* 3, 8. *Actor.* 6, 11. 13. *á Deo vero damnatur, & propterea vitanda est Exod.* 20, 16. *Levit.* 19, 16. *Psalm.* 15, 3. *Luc.* 3, 14.

Ex versu 12.)

Inimicorum blanditiæ.

Inimici blandientes maximè nocere cupiunt, tum ipsis mel in ore, fel in corde, Ps. 55, 21. *Sed diabolus ipse intro*

introducitur tentans Christum Matth. 4, 6. qui se transformat in angelum lucis, & proinde non est mirum, si pseudo-Apostoli ipsum imitentur 2. Corinth. 11, 13. & 14. Omninò autem hic diligenter sunt discernendi spiritus, 1. Johan. 4. 1.

Ex versu 13.)

Dum vocat idololatricum templum, sanctuarium, discimus, quod increduli iisdem vocabulis utantur pro mendacio palliando, quibus utuntur fideles pro veritate declaranda: cùm interea illi nil veritatis habeant. Sic Idola vocantur Dij, sup. c. 5, 5. Sic Calviniani in controversia de Cœna idem sæpè nobiscum dicunt, non idem sentiunt, & Photiniani, Arminiani itidem in loco de justificatione & electione. Verba eadem, sensus diversus

Ex versu. 14.)

I. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, Actor. 4, 19. Deo vocanti obediendum.

II. Prophetæ à Deo vocantur & donis peculiaribus ornantur, Joël. 2, 28.

Ex versu 15.)

Vide sup. c. 1. L. C. 3. Quibus junge hoc loco exempla eorum, qui cum Dei præcepto speciali non obedivissent, vel gravissimè ab eo sunt puniti, Saul 1. Sam. 15, 22. 23. Achab. 1. Reg. 20, 42. qui erant planè obstinati; vel castigatione acerba affecti, paterna tamen, qui erant dociles, ut Moses Num. 20, 8. 11. 12 propheta 1. Reg. 13, 14. Dav. 2. Sam. 12, 14. Pœna enim non est, quia ab irato Deo non infligitur, nec ut inde pejus habeant, quibus imponitur, sed ut vel ipsi, vel alia similia peccata cavere discant, vel peccare tam graviter desinant. Per mortem verò quia in vitam transferuntur æternam pij, quis hanc pœnæ loco Calamitates piis inflictæ non sunt pœnæ.

 infligi

infligi dixerit? Job. 5, 24. Quibus adde, quod pœna in judicio Deo dici nequeat, quæ non æqualis culpæ, & qua satisfieri justitiæ divinæ nequeat, quomodo mors improborum, vel alia mala, in hac vita ipsis illata, sunt præparatio & gustus sequentium cruciatuum æternorum. Vide infr. c. 8. L. C. 2. ex v. 3.

Ex versu, 16.)

Dei consilium nequit impediri.

Tantum abest, ut aliquid efficiant, qui Dei opus impedire volunt, ut sibi ipsis magna mala attrahant, Act. 5, 38. 39. 1. Reg. 13, 4. c. 22, 25. Jer. 20, 2. c. 38, 16.

Ex versu 17.)

Deus malà voluntate benè utitur.

I. Deus malâ hominum voluntate benè utitur, etjam tum quando peccant, quatenus ad bonos fines dirigitur, & quandoque ita punit, vel ipsos peccantes tradens eos justo suo judicio in sensum reprobum Rom. 1, 26. vel alios per eorum malefacta castigat, ut Davidem per Simei maledictionem 2. Sam. 16, 10. & Absolonis incestum 2. Sam. 12, 12. In quibus valet illud Prosperi:

Actio displicuit, passio grata fuit.

Quãdoq; posteri puniũtur.

II. Etiam in posteris impiis Deus parentum punit flagitia Exod. 20, 5. Deut. 28. 18. 32. 41. Aliàs filius (pius) non feret iniquitatem patris. Ezech. 18, 20.

III. Franciscus Lamberti hæc habet. Primum Amasiæ uxor erat fornicatura, eò quod ipse volebat filios Israël fornicari à Domino. Secundò quia amabat perditionem animarum populi, filii & filiæ ejus gladio erant perdendi. Tertiò quia terrenis multum afficiebatur, & ut illa conquireret, seducebat populum Dei, terra ejus erat funiculo metienda. Deniq; qui noluit in salutem Deum verum, in suam perniciem falsis diis fuit inter

gentes

gentes satiatus. O æquissima, sanctissima simul atq; reverendissima judicia Domini.

Quia autem v. 14 *propheta omne suum perfugium ac solatium à præfecto regio pressus in vocatione legitima habet, & verò hodiè, proh dolor, sæpiculè in eo peccatur, quod minus rectè se habeat vocatio, ut proinde illud vulgatum obtineat: Qualis vocatio, talis successus, talis consolatio, pauca hæc (quia alibi prolixius hæc tractantur) de Vocatione Coronidis loco hic libet subjicere. Vocatio ministri verbi divini vel est humana & illegitima; vel est divina & legitima, & hæc vel mediata, vel immediata, vel ex utraque mixta. D. Paulus Galat.* 1, 1. *tres priores vocationis species nominat.* I. non ab hominibus, *quæ est illegitima & successu prospero plerumq; caret, siquidem tantum facta est consilio humano, & non à Domino messis Luc.* 10, 2. *qui bonos operarios extrudit Matth.* 9. 38. *Ab hominibus vel iis ipsis, qui muneri præficiuntur, quando non vocati se ingerunt & currunt Jerem.* 23, 21. *seu sponte sua veniunt Matth* 7, 15. *vel iis, à quibus quidem vocantur, sed minus rectè, cum malè se habet vel principium, vel objectum, vel finis, vel circumstantiæ, ut alibi latiùs declaratum est: & hoc facilè animadvertitur, quando vocantur quidem ob causas politicas, quales sunt cognatio, affinitas, amicitia, munera &c.* II. per homines, *quæ si fit illegitimo modo, ut jam dictum, ad præcedentem classem pertinet, si autem, quod vult Apostolus, ratione debita, per eos, quibus Deus jus vocandi & constituendi pastores commisit: & quod ita ejus nomine ritè fit, ipse fecisse dicitur, Actor,* 20, 28, *omninò probanda est*

Vocatio vel est.

humana

vel divina aut mediata.

est & pro divina habenda. Sunt autem illi non soli clerici, nec soli laici, nec solus magistratus (qui sæpè hoc jus sibi rapit violenter) sed omnes simul, quia omnium interest. III. Per Christum & Deum, *vel prorsus nullis intervenientibus hominibus, qualis vocatio est plerumq; prophetarum, Mosis Exod. 3, 10. hujus nostri Amos, &c. & Apostolorum Matth, 4, 19. &c, vel intervenientibus quidem hominibus, sed præcedente nominatione immediata, facta à solo Deo, tam per vocem, quomodo fuit vocatus Aaron per Mosen Exod. 4, 14. Elisæus per Eliam 1. Reg. 19, 16. quàm per sortem Actor. 1. 26. Confer ibidem v. 24, & 25. Et hæc mixta vocatio à D. Apostolo in loco allegato expresse non ponitur, ultimæ tamen includitur, Hîc jam, quisquis officio publico, & quidem sacro, fungitur, optimè sibi suæ vocationis conscius, in se descendat, & videbit, quid ipse hîc præsidij habeat. Divinam suam vocationem esse & legitimam qui agnoscit, Deo vocante fisus officij sui faciat munia, mundi minis nil territus. Nemo enim sibi sumit honorem, sed (rectè eum obtinet) vocatus à Deo Hebr: 5, 4. Plura de hoc argumento vide apud D. Paulum Tarnovium de Sacrosancto ministerio, & confer vocationes ac translationes multorum pastorum.*

aut immediata, pura.

CAPUT OCTAVUM.

Argumentum.

Summa Cap. 8.

U*T omnem securitatem, præcedentes minas aspernantibus, excutiat Amos, subterfugia, quæ fingebant, prorsus adimat, & si qui adhuc inter*

eos

eos supererant pij, ad seriam pœnitentiam excitet: quæ mala hactenus breviùs & obscuriùs prædixerat, hoc & sequente capite copiosius & clarius exponit, cùm per visionem utrobiq; repræsentata, tùm per ejus anagogen explicata. In hoc autem octavo capite typo corbis æstivorum fructuum finem regno Israëlitarum instare indicat, quorum scelera jam maturuerint, inprimis verò inhumanitas & avaritia maxima, quæ jam tandem gravissimè punire velit Dominus, tum luctu acerbissimo ex gravissimis calamitatibus orto, tum vel maximè subtractione sui verbi, ex quo vera peti poterat in tantis malis consolatio, eò quod idololatriam jam committentes pessimam miris modis Deo ipsi conentur illudere.

Partes *possunt constitui* duæ; *quarum* prior *typum breviter proponit & exponit versibus 3. prioribus:* Posterior *verò latius in sequentibus enarrat.* Typus ipse *à Deo prophetæ oblatus est corbis æstivis fructibus plenus v.1. quem ut tantò accuratius observet, à Deo de illo interrogatur, & cùm per elegantem allusionem, tùm simpliciter, quod is finalem portendat subversionem, eruditur. v.2. Quæ anagoge declaratur à duobus adjunctis breviter, videlicet, quod cultus divinus sit cessaturus, & pestis maxima grassatura v.3.* Ἀνάλυσις Partes duæ I. typi propositio

Enarratio *hujus brevis expositionis* duo continet membra: *quorum* prius *judicij hujus æquitatem, allatis ejus causis* posterius *gravitatem, declaratis ejus adjunctis ostendit.* II. uberior ejus expositio

Æquitas probatur ex causa efficiente, eaq; minus principali, impulsiva scilicet προκαταρκτικῇ, quæ sunt scelera Israëlitarum illud commerentia, videlicet, inhumani, declarat judicij æquitatem

manitas maxima, v. 7. inexplebilis avaritia ab omnibus fraudibus ac dolis instructissima v. 5. 6. Et *principali, veracissimo ac justissimo judice Deo v. 7. qui gravissima hæc flagitia pœnis afficiet gravissimis v. 8. Quomodo paratur transitus ad hujus partis membrum posterius, in quo exaggeratur judicij gravitas, primùm figuratè, sumpta à densissimis & insperatis tenebris metaphora v. 8. Deinde propriè, primùm ex adjunctis cùm in cultu divino, cantibus lugubribus, tùm in corpore, sacco videlicet & calvitio; In animo, luctu nempè amarissimo, v. 10. & fame ac siti verbi divini subtracti in tantis malis v. 11. quæ erit tanta, ut satis se proditura sit externis signis, investigatione ejus diligentissima quidem, sed irritâ v. 12. Posteà ex subjectis, quoniam illa calamitate peritura sunt virgines pulchræ juvenesq; robusti v. 13. imò omnes idololatræ falsos Deos adjurantes. Deniq; ex modo: quoniam erit hæc plaga totalis & finalis consumptio, vers. 14.*

& gravitatem.

PARS PRIMA,

Vers. 1.)

IV. Visio, corbis æstivorum fructuum

Ut propheta sâ veritate authoritatem futuræ suæ narrationis probet, usitato sibi in visionum enarratione utitur exordio; Sic ostendit mihi in visione Dominus Jehovi, *verus ille Deus Israëlitarum, cui soli nomen Jehova Esa. 42, 8. & qui solus est Deus verus 2. Reg. 19. v. 15. Ille est hujus prophetiæ autor, non ego, 2. Petr. 1. 21. qui eam tantùm sic refero, ut ipse eam mihi obtulit, nihil addens, nihil detrahens, Prov. 31. 5. Deut. 4, 2.* Et Ecce, *quæ particula attentionem parit ut supr. cap. 7. 1. 4. 7.*

corbis

corbis *seu canistrum (hebr.* כְּלוּב *5, 27. vulgat. lat. reddit uncinus, quod vult defendere à Lap. sed nullis argumentis. I. hîc agitur de instrumento, quo poma attrahuntur : petit principium : sicut & II. deducitur à* כְּלָב*. III. LXX. & vulg. ita vertunt : & quaeritur, an rectè. IV. uncinus multis in locis (nominetur unus) comprehendit corbem, non contrà. Sunt haec certè ridicula, quae non ponerem, nisi cuperem aliquod exemplar demonstrationum extare Jesuitae celebris. Reliqua quae idem ibidem de unco reorum addit, quum fundamentum in textu nullum habeant, libens omitto Praeterea etiam, quod vita hominis sit pomum ob octo analogias, non adduco, quum credam has esse potiùs nugas canoras, quae nullum in textu habeant fundamentum)* aestivorum fructuum קַיִץ *quae propriè quidem aestatem, h. l. verò, sicut & 2. Sam. 16, 1. Esa, 16, 9. per metonymiam pro fructibus, qui per aestatem maturuerunt & jam decerpendi sunt, usurpatur, ut radices cognatae* קָצַר, קָצָה, קָצַץ*, innuunt.* קַיִץ

Vers. 2. *Ut verò cogitarent auditores, hîc commemorari aliquid memoriâ dignum â propheta, ipsius Dei secum super hunc typum habitum, explicat colloquium, ut supr. cap. 7, 8. in quo sunt haec tria ; Dei interrogatio, prophetae responsio, & visi explicatio. Sic verò habet: Et* quum diceret *ille Jehova*, quid vides רֹאֶה Amos ? *sup. c. 1. 1. c. 7, 1.* & dicerem *ego*, corbem aestivorum fructuum : dixit Jehova ad me, *ad mea verba elegantissimam formans paronomasiam*, advenit ipse finis *Gen. 6, 13.* super populum meum Israël, non pergam amplius praeterire ipsi ; *non amplius ignoscam, neque*

 scele-

Explicatur & accommodatur typus.

sceleris pœnam ulterius prætermittam aut differam : sed quemadmodum fructus arborum æstivo tempore, dum maturescunt, alij quidem crudi comeduntur, alij verò coquuntur, alij verò tosti reservantur, quidam etiam porcis projiciuntur : Ita & jam vobiscum agam, quibus hucusq́; pacem, instar æstatis amœnissimæ concessi, & postquam maturuerunt vestra scelera, nequeo, quin vos colligendos curem & quosdam crudos morti & diabolo objiciam, quosdam iræ meæ æstu torrefaciam, quosdam aliis modis consumam, & quidem tàm celeriter, quàm in colligendis maturis fructibus hortulanus festinat. *De phrasi vide cap. 7,8. & cum ea confer, Matth. 26,39. Act.* 17,30. *Anagoge autem typi est in allusione illâ elegantissimâ vocum hebræarum* קַיִץ *&* קֵץ *q. d. quod tu vides de fructibus æstivis & maturis, ego interpretor de fine & subversione Israëlitis impendente, quorum jam sunt matura ad pœnam flagitia. Latini interpretes nonnulli conati sunt paronomasian illam aliquo modo sic exprimere : Video corbem fructuum decerptorum ; imò venit decerptio. Alij hoc modo (Danæus & Drusius) Ecce corbem finalium (nempè fructuum, qui finem & maturitatem suam sunt assecuti) certè venit finis & maturuit pœna. Multum tamen adhuc absunt ab elegantiâ textus hebræi, quam etiam hoc loco in margine notat noster Lutherus. Franciscus Lamberti. Quemadmodum si quis respicienti sylvam plenam arboribus, quæ populi appellantur, dicat, quid vides? & ille responderet, populos : & alter, populi succidentur, accipiens vocem de hominum turba. Eodem modo suprâ quàm dici potest eleganter alludit Deus in typo amygdali in vocibus* שָׁקֵד *&* שֹׁקֵד

קַיִץ קֵץ

Jer.

Jer. I, II. 12. *Ut taceam alias paronomasias plurimas à Deo ipso in veteri Testamento adhibitas, quæ suprà maximam partem sunt notatæ cap.* 5, 5. *Cum toto autem hoc typo ejusq; explicatione hac anagogicâ, conferatur typus malarum ficuum, apud Jer. cap.* 24, 3. 8. *quomodo verò matura dicantur in scriptura scelera, exposui Joël.* 3, 13. *ut supervacaneum jam ducam hæc latius persequi, cum Deus ipse se satis explicet in v. seq. Inspice tamen Ezech.* 7. *v.* 6.

Vers. 3. *Nam quo tempore, inquit, existent illæ minæ, hactenus frustrà denunciatæ, & jam cum illa duo sublata fuerint, quibus adhuc confidunt, subsidia, nempe cultus idololatricus, in quo hactenus quasi rebus omninò salvis canunt, & potentia militum, quos cogi posse ex terrâ suâ sperant, Confer suprà. cap.* 7, 9. *tum pro lætitia in templis erit tristitia, pro cantu luctus, pro hominum copia, magna eorum penuria.* Tum in die illa ejulabunt *infra v.* 10. cantica templi vestri, *quæ odi sup. c.* 5, 23. *omnis cantus vertetur in planctum, etiam in ipsis ædibus sacris, (vulgatus lat. interpr. stridebunt cardines templi, id est.* צִירֵי הֵיכָל *pro* שִׁירוֹת *Corn. à Lap. Ad verbum hebræa vertas, ululabunt cantica templi, & Syrus, corruent laudationes templi, Chaldæus, ululabunt vice canticorum carmina palatij: & tamen idem subjungit, Noster cum LXX. meliùs vertit, cardines: quomodo hoc probet, vide & ride)* & plurimum *erit* cadaverum in omni loco *in quem* projecit *illa, cum exportare, & ad sepulchrum ritè deferre haut poterat is, qui dixit ad loquentem secum,* tace *: ut sit adverbium, designans idem, quod apud Latinos pax, nihil amplius; jam*

actum & conclamatum est de nobis; & iniquitas nostra opprimit nos meritò, cum Deus toties nos de hoc malo per prophetas suos præmonuerit indociles, Confer Sophon. 1,7. Zach. 2,13. Hab. 2,20. & quæ dicta sunt, supr. c. 5,13. & c. 6,10. Aliorum diversas explicationes (quæ videri possunt cùm apud alios, tùm apud Corn. à Lap.) brevitatis ergò omitto: Hanc scopo, verbis textus, & personæ dicentis, quippe perturbati hominis, & variis utentis ἀποσιωπήσεσι, *optimè convenire existimo. Marian. tace, dicet hostis, ne lachrymis quidem & gemitibus erit locus: sic solent tyranni, ne vocem quidem liberam relinquunt.*

LOCI COMMUNES

Ex versu 17.)

Similitudo à fructibus in scripturis crebra.

Frequens in scripturâ est à fructibus agrorum vel hortorum desumpta metaphora, à vinea Cant. 1.6. Es. 5,1. Ezech. 17,6. Matth. 20,1. & 21,33. Jer. 2,21. Cant 2,13, semente, Matt. 13,3.24. ficubus Luc. 21,29. ut quia illa quotidie nobis obvia videmus, quotidiè nostri admoneamur officij, nos etiam esse arbores à Deo plantatas Ps. 1. & surculos veræ viti Christi insitos Joh. 15,2. ut feramus fructum multum ibid. v. 5.8. quem Deus expectat, Luc. 13,6.7.8. & simul cogitemus, quod si non tulerimus fructum, tum securis ad radicem posita sit, ut mox exscindatur arbor Matth 3. 10. quæ ut ceciderit, ita etiam jacet sive ad austrum, sive ad aquilonem Eccl. 11,3. Malas verò arbores in ignem æternum conjici Matth. 13,40. bonas verò in paradisum Dei transportari Psal. 92,14.16. Luc. 23,43. Apoc. 2.7, & bonas fruges in horrea Dei colligi ac reponi Matt.

13,30.

13, 10. *Quum homines nec finem nec modum peccandi faciunt, tum peccata q. maturescunt; & pœnam divinam certò secum trahunt, Pisc.*

Ex versu 2.)

Misericordia Dei ita est infinita, ut tamen non lædatur ejus justitia, & in se immensa semper, verum quia per ordinaria ab ipso constituta media offertur hominibus, ea si negligantur nostra culpâ vel rejiciantur, mirum non est, quod ad nos malos absolutè se non extendat, Esa. 27, 11. Psal. 5, 6. Jer. 16, 5. Ezech. 5, 11. Eadem etiam ratio est, quod tamdiu nobis tantùm ad eam pateat janua, quamdiu hic vivimus, siquidem post hanc vitam illi non est impiè decedentibus locus, eò quod destituantur mediis, quibus ejus fiunt participes. Fides enim cum sit ex auditu, hac autem per verbum prædicatum, Rom, 10, 17. post mortem verò nulla verbi prædicatio fit, & filius hominis non remittat ibi peccata, sed habeat potestatem remittendi peccata in terra, *Matth. 9, 6. qui propterea monet, ut vigilemus, sed antequam occludatur janua Matth. 25, 3. dum lucem habemus, in luce ambulemus Job. 12, 35 36. & benefaciamus, dum tempus gratiæ 2, Cor. 6, 2. habemus Gal. 6, 10, quod angustum est, 1. Corinth. 7. 29. Consilium dat optimum, ut emamus à se aurum igni exploratum, ut fiamus divites, vestimenta alba, ut induamur Apocal, 3, 10. Superinduemur enim, siquidem non nudi reperiamur 2. Cor. 5, 2. 3. 4. & post horam mortis valet illud axioma: Qualem te invenio, talem te judico, ex Luc. 19, 22. exstructum, quandoquidem tum magnum chasma confirmatum est Luc. 16, 17. & nox illa (æterna) est, cum nemo potest operari Job. 9, 4. &*

Misericordiam tantum in hac vita consequimur.

4. & ex inferno nulla est redemptio Ps. 49, 8. 9. vide Lomb. l. 4. dist. 50. lit. A.

Ex versu 3.)

Stipendium peccati mors

I. Qui nolunt Deo canere in tempore gratiæ, coguntur ululare in tempore iræ Matth. 8, 12. & 22, 13. & 13, 41. 42.

quæ tamen pijs lucrum

II. Pestis una ex gravissimis plagis, quibus Deus castigat homines, revocat nobis in memoriam, quod stipendium peccati sit mors, Romen. 6, ult. suprà c. 6, 9. & completam esse verissimam illam Dei comminationem: quâ die comoderis de arbore vetita, morte morieris Gen. 2, 17. In piis autem per Christum à morte æternâ liberatis, mors corporalis non pœna exquisitè dicta, sed paterna castigatio, ut protoplastis in gratiam receptis, Evæ difficilis partus, Adamo labor & dolor imponitur Gen. 3, 15. 16. 19. & janua ad vitam Job. 5, 24. & 13, 1. dulcis requies à labore Apoc. 14, 13. dissolutio ex corporis ergastulo Luc. 2, 29. Phil. 1, 23. liberatio à sensu peccati 1. Cor. 15, 36. migratio ad domum non manu factam, sed æternam in cœlis 2. Cor. 5, 1. & tum demum finaliter erimus pii à morte liberi, quando in Christo resurgimus ad vitam Joh. 11, 25. 1. Cor. 15, 22. 1. Thes. 4, 16.

Respondetur ad duo Socini argumenta. 1.

Atq; hinc facilè solvi potest illud argumentum duplex Socini *quorum* prius: *Ab omni pœna peccati per Christum sumus liberati: A morte corporali non sumus liberati, E. Resp. ad maiorem, ampliando. Ab omni pœna exquisitè sic dicta & infinitâ, quam meretur offensa Dei infiniti, Mors autem corporalis piorum non est talis pœna. Ad minorem: A corporali morte liberati sumus pij in hac vita meritò: In altera etiam efficaciâ.* Posterius

sterius est hoc : quo sublato manet mors, illud non est ejus causa. Resp. iterum ad maj. per ampliat. Sublato scilicet totaliter & planè: Peccatum autem tollitur à Christo, non ut non sit omninò, sed ne sit reatus ejus condemnans, & ne imputetur Rom. 8, 1. Confer sup. c. 7. L. C. ex vers. 15.

III, Magna miseria est, premi ingentibus malis, & tamen ea necessario dissimulare & supprimere Osiand. Deus autem ut optimus medicus contraria contrariis curat, strepitum & tumultum silentio, superbiam depressione, gulam fame, libidinem dolore. à Lap.

PARS SECUNDA.

Vers. 4.)

Cum in præcedenti comminatione ingentes calamitates prædixerat propheta, ne videatur temerè tantas pœnas denunciasse, more suo statim exponit grandia Israëlitarum scelera, quibus eas commeruerint & sibi attraxerint ipsi, & inde, quàm procul absint à fide in Deum verâ, quam fingunt idololatræ, & charitate in proximum sincera, quam simulant, ea, quam fovent in malis, concordiâ ostendunt. Unde facilè colligere est, quàm rectè illa ventura prænuncientur, quæ justissimè tam atrocia peccata consequentur, Quæ verò illa? Crudelitas, avaritia, ac omnis generis injustitia, quæ quia non agnoscebant, qui ea perpetrabant, per Apostrophen torpentes excitat: Audite hoc, inquit, vos proceres, qui reliquis estis pejores, & inferioris conditionis homines exemplo vestro corrumpitis: Vos qui ad opprimendum egenum omni conatu adspiratis, atq; adeò anhelatis dejicere e-

gentem *sup. c. 2. 4, & 6, 6. & cogitatis* delere pauperes terræ (*In voce* לְשְׁבִּית *n, est syncopa, qualis, sup. c. 7. 3. Buxt. Th. p. 527.*)

Vers. 5. Dicendo, *dum ex avaritia insatiabili supputatis temporis articulos, & id omne perire vobis ducitis, quo nil lucramini. quale est, quando cessandum ab opere externo ac mercimoniis, & cultui divino vacandum, ut singulis mensibus in novilunio, singulis septimanis in die sabbathi, quorum duorum dierum festorum hic meminit, quia sæpius in anno recurrebant, cum reliquæ solemniores ter femel in anno tantùm celebrarentur, Exod. 23, 14. Attendite igitur vos quæstui tantùm dediti, qui ita stomachari soletis:* quando *tandem* transierit hoc novilunium? ut frangamus, *i. e. per hebraismum notum, distrahamus, vendamus* commeatum? & quādo *tandē* præterierit hoc sabbathum, ut *hactenus clausa* aperiamus frumenti horrea? *siquidem lege divina his diebus mercimoniis operam dare non licet, Exod. 20, 8. 9. 10. & 34. 21. & 31. 23. Lev. 23. 3. & 26, 2. Nehem. 10, 32. & 13, 15. seqq. Et in noviluniis sacerdotes clangentes tubis convocabant & habebant cœtus sacros, Num. 10, 1. Ps. 81, 4. singularia sacrificia offerebant Deo, Num. 28, 11 precibus & verbo communicabant cum populo 2. Reg. 4, 23. & sacrum epulum celebrantes sanctificationi suæ, non privatis negotiationibus incumbebant 1. Sam. 20, 5. ac propterea in restitutione Ecclesiæ conjunguntur novilunia sabbathis, Es. 66, 22. ut hoc loco notavit Junius. Ita vox* חֹדֶשׁ, *quæ aliàs mensem totum notat, mensis cujusq; initium significat, quod Græci dicunt νεομηνίαν Latini novilunium: Sicut Hos. c. 2, 11. & vox* שֶׁבֶר *peculiariter annonam*

Diebus festis cessare debent mercimonia.

nam seu frumentum denotat, eò quod famem frangit, hoc est, scripturæ phrasi, sedat, Psal. 104, 11. De hebraismo in verbo cognati, שָׁבַר*, id est, emit &* הִשְׁבִּיר *i. e. vendidit vide & confer Gen. 41. 56. Esa. 58, 7. Gen. 41, 57. & 42, 3. 5. & 43, 2. 4. & 47, 12. & 42, 6. Deut. 2, 28. Prov. 11, 26. Matth. 14, 15. Maric 6, 8. 1 Cor. 10, 16. & c. 11, 24. & quod Calvinianis reponas pro* ἐζυλάσσ *mordicus pugnantibus, vel ex ipsa voce habebis, quæ non semper notat in scriptura comminuere in partes seu frusta 1. Sam. 4. 18. 1. Reg. 13, 28. 29. quomodo & nos dicimus,* **den Hals brechen/** *ut sanè sit collectio vitiosa à particulari procedens: Christus jubet nos in administratione cœnæ panem frangere. E. oportet nos eum in partes comminuere. Sufficit enim, si juxta Christi institutionem & Pauli explicationem, dividamus inter multos panem unum sacramentalem.*

Sed his ἐν παρόδῳ notatis redeamus ad textum: In quo notantur species quatuor fraudum & artium, quibus dediti sunt avari; I. Violatio sabbathi, saltem affectu, Sabbathi inquam hebdomadarij, non illius, quo septimo quoq; anno cessabat ager, & de quo Lev. 25, 2. ut explicat paraphrastes Chaldæus, & cum eo multi alij: Tum quod in illo annuo sabbatho sponte natum pauperibus erat relinquendum ib. vers. 5. Vide 2. Reg. 19, 29 tum quod tempus novilunij hic adjectum aliud innuat, tum denique, quia semper avari sunt inquieti, & sua bona usq; collocupletare cupiunt. Et proinde potius ægrè ferunt tot sabbatha in uno anno remoram quandam suæ cupiditati pravæ injicere, quàm ut conquerantur de communi illo annuo sabbatho, quod non ita citò transibat. Accedit &

 hoc,

Frangere, non semper significat in partes multas comminuere.

Sabbathũ quodnam hic intelligatur.

hoc, quod tum temporis Calendas avidè expectarent avari, quia tunc fœnori pecuniam dabant, & usuras exigebant, vide Plut. lib. de non fœnerando, Horat. l. 1. Sat. 3 v. 86. 87. 88. & epod. 2. v. 69. 70. II. Mensurarum usitatarum imminutio, quibus divenditum frumentum emetiuntur, III. Ponderum argenti, quod accipiebant seu precij auctio. IV. Bilancis depravatio. Nam contra expressum Dei præceptum peccant nefariè Deut. 25, 14. 15. Lev. 19, 35. 36. Ezech. 45, 10. 11. minuendo Epham, & majorem faciendo siclum *Exod. 30, 13. seu pondus argenti, quod tum appendebant Gen. 23. 16.* & pervertendo lancibus dolosis, *quæ sunt Domino abominatio, Prov. 20, 10. 23. Junius notat, quod siclus fuerit duplex, aureus Num. 31, 52. Jud. 8, 26. & argenteus, qui iterum duplex, communis, qui fermè valebat quadrante thaleri, & sacer, qui duplo major, & æstimatur dimidio thalero. Vide Gen. 23, 15. Exod. 21, 32. & 30, 13. & 38, 25. Ezech. 45. 12. Osiander putat, augere siclum, esse,* die groben Müntz steigern/ daß sie mehr gelten müssen/ dann wie sie gemüntzt seyn/ und wer sie haben wil/ der muß sie in höherm werth von jhnen abwechseln/ und auffwechsel geben. *Nota hæc res hoc ævo, quotusquisque superioribus annis hoc malum non sensit, imò quis adhuc non sentit? Cornel. à Lap. utebantur dolosis staterēs, quibus justi ponderis siclus tamen videbatur justo levior, & proinde miseri cogebantur præter siclum aliquid addere. Sic Clarius, Ribera, Arias, à Castro. Quæ autem de siclo sacro habet Ribera, non sunt certa, ideoq; fundamenti loco ab aliis, præcipuè Iudæis, adduci non possunt.*

Vers. 6. Hæ fraudes dupliciter porrò aggravantur,

primùm

primùm fine & objecto, ut comparent pecunia *ista per fas & nefas comportata* tenues *emant sibi ac subjiciant*, *non res inanimatas, non bruta, sed homines, eosq́ fratres & quidem vilissimo quovis precio, nempe* egentem *hominem sibi comparant* pari calceorum, *suprà cap.* 2, 3. *abusi nimis crudeliter permissione legis, quâ qui oppressi egestate solvendo non erant, seipsos vendere divitibus cogebantur Lev.* 25, 39. *ut testantur exempla Jer.* 34, 9. *Nehem.* 9, 2. 3. 5. *Deinde adjunctâ alia fraude, dum* מַפַּל בַּר *id est, deciduum frumenti, quod, cum purgantur vanno fruges, in terram decidit, & non amplius curatur*, quisquilias frumenti *tritico puro iterum mistas* vendunt, *quod facere ut saltem possint, maximoperè opeant, dum inquiunt*, ut *quisquilias frumenti* vendamus, *quas coguntur pauperes præ inopia quasi triticum emere*.

Vers. 7. *Verùm. O pessimi, hactenus audivistis vestra scelera: audite etiam deinceps vestra supplicia, quæ certissimè sunt eventura.* Jurat enim ipse Jehova *sup. c.* 4, 2. *c.* 6, 8. *ubi nota phrasin hebræam, & quidem* per excellentiam Jacobi, *hoc loco propter subjectam materiam (siquidem Deus per se tantùm jurat) per seipsum vel Christum, quo Jacob seu Israëlitæ omnes triumphant atq́ excellunt reliquis gentibus, ut suprà aliquoties ex c.* 3, 2. *& c.* 9. 4. *seqq. Epist. Rom. demonstratum est. vide Ps.* 106, 20. *Deut.* 4, 7 8. *Vulgò, contra superbiam Jacob*, בִּגְאוֹן יַעֲקֹב. *Sed constructio hebræa priorem explicationem firmat. Sic etiam D. Winckelm. in hebræo sententia est, dominum jurare per suam celsitudinem, quæ est Pagnini versio; & tamen de illa altera vulgati inter-*

Excellentia Jacob. i. e. Deus

terpretis ita subjicit à Lap. sensus nostri interpretis uti Hebræo congruentior (quod est falsum) ita & nervosior est. Jurat a. in sua ira, quam indicat aposiopesis sequens iratis familiaris, quâ apodosis reticetur, Buxt. in Th. p. 543. & seq. aliquot. Si obliviscar in æternum ullum operum istorum *scelestorum hominum q. d. nunquam in æternum obliviscar, nec impunitum relinquam vel ullum, sed omnia pro merito puniam. Ita namq; in scripturâ ἀνθρωποπαθῶς recordari dicitur factorum pravorum, quæ punit, oblivisci eorum, quæ condonat, ac præterit, quemadmodum ipsi competunt talia non affectu, sed effectu.*

Vers. 8. Et ne quis conqueri de iræ gravitate ac suppliciorum posset, per interrogationem Rhetoricam, quæ valdè urget ipsos, contra quos profertur, æquitatem judicij exponit, ut suprà c. 2, 8. & 5, 20. à testificatione conscientiæ reorum, quam appellat justissimus judex. Quum enim ipsi quasi cœlum terræ & sacra profanis miscerent suis flagitijs, ut vidimus, suprà v. 5, 6, Omniaq; valdè perturbarent, quid mirum etiam ipsam terram commoveri & coelos obstupescere, Jer. 2. 12, imò hoc potius mirandum, terram tam flagitiosis non imam dehiscere, Num. 16, 31. 32. Quam prosopopœian videtur Propheta hoc loco propterea adhibere in specie, ut revocet nos ad ea, quæ sup. c. 7, 10, dixerat Amazia: Non posse terram sustinere verba Amos: sed ad ea contremiscere. Respondet Amos, scelera Israëlitarum esse, quæ terra ferre diutius nequeat, quemadmodum etiam terræ motus circa hoc tempus indicavit, suprà c. 1, 1. à Lap. Ad pathos terræ insensili sensum, indignationem, horrorem, & tremorem attribuit. Omnes enim creatura sensu naturali sentiunt

vocem

vocem & nutum sui creatoris, multoq; magis ejusdem offensam & iram. An *enim* propter hoc, *tantam, inquam, violentiam, quam hactenus verè exposui supr. 2, 6. & de qua adeò conqueruntur afflicti tenues* non commoveretur hæc terra, ut lugeret, quisquis habitet in ea & adscenderet *omnis generis calamitas, quæ aquarum nomine sæpè in scripturâ venit Ps. 18, 17. & 32, 6. & 69, 2, 16. & 124, 4. 5. & 144, 7.* velut rivus in totam ipsam, *ut sit in his verbis ellipsis, vel hypallage in sacris literis crebro occurrens,* quo expelleretur & submergeretur, *(hebr.* נִשְׁקְָה *pro* נִשְׁקְעָה *ubi litera* ע *studio à propheta suppressa, ut omnimodam demersionem innuat, ut censet Marinus. Jerem. 51, 63. Apoc. 18. 21.)* ac *velut inundaretur* ut rivo Æpypti *seu Nilo tota adjacens inundatur quotannis regio, qui κατ' ἐξοχὴν hoc nomen hebræum* יְאֹר *habet, & h. l. per aphæresin τῆ* י *in* אֹר *conformatum: vide infra c. 9, 5. Gen. 41, 1. 2. 18. Exod. 1, 22. & 2. 3. & 3, 15. Esa. 19, 6. & 23, 3. Cum phrasi vero confer Jer. 46, 7. ut sit hujus loci sensus: Sicut tota Ægypti planities Nili inundantis aquis opprimitur, & luto relicto obducitur: Ita mea vindicta Israëlitas securos opprimet, qui nunc in luce & felicitate quadam præsenti exultant, sed mox cum obruerint eos tenebræ & calamitates, lugebunt. Unde magnitudo mali per similiudinem rei, quæ maximum incutit terrorem, explicatur. D. Winckelm. Universalis pœna & quasi diluvium obruens ac tollens homines à terra, quemadmodum Nilus Ægypti fluvius quotannis inundat terram.*

Aqua i. e. calamitas

Vers. 9. Nam erit in die illo, dictum Domini Jehovi: Efficiam ut sol occidat ipso meridie, *confer locum*

cum similem Jer. 15. *verſ.* 8. 9. & obtenebrabo terram die lucido, *hoc eſt, ſcripturæ ſtylo, quæ per tenebras ſæpè mala maxima deſignat, magnis plagis nec opinantes opprimam, ſuprà c.* 5, 18. *Joël.* 2, 2. 29. *Jer.* 15, 9. *Mich.* 3, 6. *Job.* 18. 5. 6. *& (qui locus promiſſionem continet huic comminationi contrariam) Eſa.* 60, 20. *Senſus igitur eſt; Tanta anxietate & mœrore afficiam Iſraëlitas, ut in ipſo meridie putaturi ſint, ſolem jam occubuiſſe, ſeq; in denſa nocte verſari, Piſcator. Pavor enim & mœror caliginem oculis & menti inducit, ut videantur ſibi verſari in tenebris, velut deliquium animi patientibus contingit. Nullo modo autem hic prædicatur eclipſis ſolis, quæ in paſſione Chriſti facta eſt, quia de illa hîc nil quicquam agit, licet multi patres ſuo more illum locum huc trahant. vide Cornel. à Lap. Vidit hoc ante ſeculum Franciſcus Lamberti, dum ſcribit, puto per meridiem proſperitatem, & per tenebras mala ſignificari. Erant in quodam proſperitatis meridie Iſraëlitæ, antequam in eos Aſſyriorum veniſſet exercitus Deum autem in nihil tale ſperantes ſubitò irruit, q. tenebræ in meridie factæ fuerunt, & lux proſperitatis in noctem verſa fuit.*

Tenebræ i.e. calamitates.

Verſ. 10, *Et quia cultui idololatrico confiditis, ſuprà c.* 5, 5. *faciam ut ille deinceps prorſus ceſſet.* Nam commutabo dies veſtros in luctum maximum *ſuprà, cap.* 5, 16. 17 & cantica veſtra in lamentationem, *ſuprà v.* 3. *Hoſ.* 2, 11. *Hujus luctus magnitudo porrò per ritus externos, orientalibus populis uſitatos, indicatur, cum ſequitur;* Et inducam ſuper omnes lumbos ſaccum, *qui erat veſtis lugubris, anguſtior togis, quibus*

aliàs utebantur, & proinde hoc se velut cingebant, & præcipuè lumbos, densiores corporis partes constringebant, Gen. 37,33. 1. Reg. 2,32. Jer. 48,36. Ezech. 7,18 Joël, 1, 8. Ps. 30,12. Esa. 3,24. & super omne caput calvitium, *dum præ nimio dolore casum suorum incommodorum ferentes immoderatius, crines plerosq; evulserunt sibi: vel pro more gentis (circumjacentis) circumradebant, infideles præsertim, vide Lev. 19, 27. & 21, 9. Deut. 14, 1. Job. 1, 20. Esa. 15, 7, & 22, 12 Jer. 7. 29. & 48. 37. & 41, 5. Ezech. 7. 18. Mich. 1, 16.* & disponam eam lamentationem, quasi luctum unigeniti, *qui omnium erat amarissimus Jer. 6,26. Zach. 12, 10.* ut finis illius sit, tanquam diei amarissimæ *siquidem omni consolatione vera ac solida ex verbo Dei petenda destituentur.*

Saccus quid apud Judæos.
Crines quandoq; Judæi in luctu evellebant vel radebant.

Vers. 11. Ecce *enim, Amazia, & alij plures me cupiunt (ait propheta) ex terrâ suâ ejectum cum verbo Domini c. 7, 10. 12. age,* venturi sunt dies, dictum Domini Jehovi, quibus immittam famem in hanc terram, non famem ad panem, nec sitim ad aquas, *ut sonant verba hebræa, Hos. 2. 3. hoc est, nec famem habendi panis, neq; sitim aquarum,* sed audiendi verba Jehovæ, *quæ jam audire nolunt, sup. c. 7, 13. ut dicant ex animo dolentes: Insignia illa nostra, prisca illa documenta gratiæ & favoris divini, non amplius videmus. Non est amplius propheta, neq; est apud nos, qui sciat, usquequò sint hæc mala duratura Psal. 74, 9. q. d. Efficiam ut tempore obsidionis & expugnationis Samariæ ita affligantur, angantur, inopesq; sint mentis & consilii Israëlitæ, ut prophetas, quos jam contemnunt, toto orbe* per-

Fames verbi Dei

perquirant, ut ex iis sciscitentur & audiant tum oracula de obsidionis exitu tum consilia ex ea evadendi, an, quando & quomodo sint liberandi. à Lap. Sit igitur dictum hoc generale, (ut vulgò allegari solet) occasio ejus est specialis, ut multorum aliorum, quæ ab hypothesi ad thesin transferuntur non malè. Quia verò est hæc fames & sitis ex Zelo secundum non scientiam, & ad pædagogiam externam spectat, eamq; quæ non fit debito modo (quo multi quærent intrare, & non poterunt Luc. 13, 24.) ac ita, ut homines cupiunt intrare, non ut præscripsit Deus, Deus principaliter & gratiosè hanc famem & sitim non immisit, sed ex ira non tollit, quemadmodum ex parte diaboli, ejusq; seminis inimicitiam erga mulierem ejusq; semen Jesum Christum non imponit, sed ex propria malitia insitam relinquit Gen. 3, 15. quod alibi exemplis scripturæ probatum videbis. Nunc quod ad rem confer exeges. A. C. D. Mentzeri art. 5. th. 13. pag. 234. 235. & quod Apostolus dicat, esse quosdam, qui semper discant, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenire valeant, quum veram viam non insistant 2. Tim. 3, 7. Aliàs & illa fames atq; sitis, prout naturalis, est in suo genere bona, præcipuè si quis rectè utatur, ut non ad malum objectum applicet, & modo malo conetur sedare. Vide quæ habentur Act. 14, 15. 16. 17. & 17, 24. 27. Rom. 1, 20. 21. & 2, 14. 15. Ad summam. Fames habendi verbi Dei vel est ex carne vel ex spiritu Matth. 5, 6. illa dum non ex insita notitia ad revelatam divinitus aspirat, est vaga & non invenit quicquam v. 12. hæc invenit, unde saturetur Esa. 65, 13.

Vers. 12. Et vagabuntur à mari uno ad alterum, ab

ab aquilone ad orientem usq; discurrentes *Zelo pravo & inordinato præditi, sentientes quidem suum defectum, sed non servantes modum quærendi à Deo præscriptum,* ad pervestigandum verbum Jehovæ, *quod* tamen non invenient, *quum jejunabunt non exaudiam clamorem eorum Jer.* 4, 12. *sed quia tam diu se abstraxerunt obstinatè ab omni consilio meo, & correptioni meæ non acquieverunt, in calamitate ipsorum etiam ego ridebo Prov.* 1, 24. 25. 26. 27, *nec inveniendum me præbebo, licet me quæsierint per totam suam terram, cujus hîc sunt enumerati termini, nempè à mari rubro ad meridiem sito, ad mare mediterraneum seu magnum, quod occidentale latus claudit, & deinde ab aquilone ad orientem. Confer Numer.* 34, 3. *Psal.* 72, 8. *Zachar.* 9, 10. *Joël.* 2, 20. *Jos.* 1, 4.

Vers. 13. *Ex hac verò calamitate longè omnium maxima tanta exorietur clades, ut nulli parcatur, & spes posteritatis tollatur. Quid enim futurum est reliquis, si firmior illa juvenilis ætas miserè tabescat?* Nam die illâ continenter deficient, *hebr. operientur, scilicet mœrore, hoc est patientur animi deliquium Esa.* 51, 20. *Vide Comm. in Jonam c.* 2. 8. & 4. 8. virgines illæ pulchræ, *Esa.* 3, 16 & ipsi juvenes ea siti, *tum spirituali v.* 11. *tum corporali, quæ ibi in regionibus calidis valdè molesta, destituti refectione corporali & spirituali.*

Vers. 14. Qui nunc jurant per reatum Samariæ, *vitulum illum in Bethel positum, in quo colendo Samaria, atq; adeò totum regnum peccat quàm maximè Hos.* 8, 5. 6. *Sic Deut.* 9, 21. quando dicunt *in juramentis, in quibus erat verus DEUS invocandus Esa.* 45, 21.

 Ut

Ex versu 6.)

Injustitiam in contractibus justissimus Deus odit & damnat, 1. Cor. 6, 8. 9, Lev. 19, 11. 1. Thes. 4, 6. Eph. 5, 3. Contrà veritatem & justitiam diligit Psal. 11, ult. Prov. 20, 14. 15.

Ex versu 7.)

Deus omnia novit scientia generali, bona & mala, neq; hac obliviscitur, non placatus per mediatorem satisfacientem. Dissimulat autem sæpè aliquamdiu Act. 17, 30. Sap. 11. 24. ut agant homines pœnitentiam, Rom. 2, 4. quæ si non agitur, suum librum producit, exacturus rationem cum debitoribus severissimè, Matth. 18, 23. 24. Luc. 16, 2.

Deus omniscius quædam dissimulat.

Ex versu. 8.)

I. Deus punit avaros gravissimè, Jer. 6, 12. 13. & 8, 10. Pœna autem non minima est, quod ipsi seipsos miris modis semper crucient, ut crescat amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Vide c. 14 Sirac.

Avarorũ pœna.

II. Terra ipsa malos evomit, Lev. 18, 25. & 20, 22. Deut. 28, 21. 64.

Ex versu 9.)

Deus est autor mali pœnæ, sup. c. 3, 6. & quia hoc nomine tenebrarum denotatur, quæ sunt hominibus, imò omnibus viventibus valdè ingratæ, cogitemus, quanta illorum sit futura miseria, qui in æternas conjicientur pœnas & exteriores tenebras. Matth. 8, 12.

Caveamus exteriores tenebras.

Ex versu 10.

Si festos dies à se institutos ob improbitatem hominum commutat Deus in luctum, quid fiet illis, qui Judæorum luxuriosa celebrant encænia, ac fœda Ethnico-

Ne vivamus Bacchanalia

rum vivunt bacchanalia? 2. *Macc.* 6, 7, *Sap.* 2, 1, 6. 8. 8. *Esa.* 22, 13.

Ex versu 11.)

Verbi divini vis & efficacia.

Quia cœlestis doctrina est verè spiritualis cibus & potus Job. 4, 14. & 6, 27. 29. *ejus defectu qui laborant, omnino famem & sitim sentiunt maximam Ps.* 42, 2. 3. *Matth.* 5, 6. *quam sedare possunt in convivio à Deo apparato, Ps.* 23. *Esa.* 25, 6. *ad quod Deus omnes vocat Esa.* 55, 1. *in quo Christum, paschalem illum agnum, apponit* 1. *Corinth.* 5. 7. *& per suos œconomos, verbi divini puta ministros, offert* 1. *Cor.* 4, 1. *quos si rejicimus cum suis spiritualibus ferculis, cogimur esurire & sitire in æternum Luc.* 16, 24. *& in hac vitâ sicut canes famelici circumire civitatem, cum nibil, quod animam fessam recreet, invenire possimus Psal.* 59, 15. *Luc.* 1, 55. *Non enim solo pane vivit homo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei, Matth.* 4, 4. *qui cum aperit manum suam, saturat quicquid vivit cum beneplacito Ps.* 145. 16. *cum faciem suam abscondit, conturbantur, & expirant viventia Ps.* 104, 27. 28. *Etenim, ut compendio dicam, verbum Dei in fame est cibus, in siti potus, in paupertate divitiæ, in infirmitate sanitas, in ignorantiâ gloria, in luctu gaudium, in adversis solatium, in morte vita, in peccatis justitia, in inferno cœlum. Et quid habeat quæso, qui Deum habentem omnia in suo verbo non habet? contrà quo bono careat, qui Deum, in quo bona cuncta, possidet?*

N. B.

II. Francisc. Lamb. Quid dicent ad hanc prophetiam antichristus & prophetæ ejus? opponunt, quod non potest deficere Ecclesia? Resp. in electis hoc verum est, in quibus etiam tum vera fides, ubi alij deficiunt.

Ex

Ex versu, 12.)

Quod homo etiam non renatus possit ex propriis viribus audire verbum Dei attentè, & libenter quærat intrare, nec tamen ex se possit Luc. 13, 23. Sicut legitur audisse cum voluptate Herodes Johannem Marc. 6, 20. Sergius proconsul Act. 13, 17. Felix & Drusilla Paulum Act. 24, 21. sed quamdiu SS. gratia adhuc nondum accedit, & illud operculum mentis cæcæ removet, 2. Cor. 3, 15. 16. discit, nec unquam ad salutarem veritatis agnitionem pervenit 2. Tim. 3, 7. habet Dei zelum, sed non secundum scientiam Rom. 10, 2. Huic tamen non obstat illa promissio Matth. 7, 7. 8. quia ibi fides includitur, quæ hîc nulla, sed tantùm externum, vagum & erroneum studium. Homo non renatus externam pædagogiam potest præstare.

II *Dum lucem habemus, ambulemus in ea, ne tenebræ nos apprehendant, in quibus nesciamus, quò sit eundum, Joham. 12, 35. 36. requiramus Jehovam, dum præstò est, invocemus eum, dum est propinquus, Esa. 55, 6.* In luce ambulemus.

Ex versu 13.)

Fallax est gratia & vana pulchritudo, Prov. 31, 30. quia omnis caro gramen, & omnis benignitas ejus similis flori agri Esa, 40, 6, 7. Fallax est pulchritudo.

Ex versu 14.)

Per solius veri Dei nomen jurandum est, Deut. 10, 20, & c. 6, 12. 13. Esa. 45, 23, & 65, 16. Contrà graviter comminatur illis Deus, qui jurant per illum, qui non est Deus Jer. 5, 7. Sophon, 1, 5. Per Deum est jurandum.

CA-

CAPUT NONUM.

Argumentum.

Summa.

EXitium typo percussionem vehementis figurans Deus, id fore inevitabile declarat, dum minatur, se omnia tutissima (ut putabant Israëlitæ) erepturum esse præsidia ac cuncta prærepturum subterfugia, quod à sua majestate, eorum sceleribus quum confirmasset, ab eo liberatum iri pias quasdam reliquias promittit, & hac occasione à legalibus minis ad promissiones Evangelicas, tum de vocatione universali in N. T. futura, etiam gentium prophanarum, tum de eorum, qui vocationi divinæ obedituri sunt felicitate æterna factas digreditur ac librum his tandem concludit.

Ανάλυσις Partes duæ I Legalis mali denunciatio, ubi duo: Typus & ejus accommodatio, cujus tria membra 1.

Partes *capitis sunt secundum duo doctrinæ Christianæ capita primaria, legem ac Evangelium, sup. cap. 1, 2. L. C. 2.* duæ; *earumq;* prior legalis, mali denunciatio; posterior Evangelica, bona pollicitatio *vers.* 11. In illa notanda sunt hæc duo: *ipse typus & typi accommodatio.* Typus *est, quod jubet Dominus angelum percutere superliminare præcipuè templi portæ, tam vehementer, ut inde etiam inferius limen, & postes ambo & contremiscant, & diffindantur v. 1.* Typi anagoge constat membris tribus, *quorum* primum *est* propositio *excidij atq; exitij inevitabilis viso illo adumbrati, ac à Deo ita explicati in fine v. 1. & porrò amplificati per insignem μερισμὸν, quo nullibi tuti ab eo fore dicuntur, neq; in cœlo vers. 2. neq; terra neq; mari vers. 3. neq; in patriâ, neq; extra eam, neq; pugnantes, neq; captivi v. 4.* Se-

v. 4. Secundum est confirmatio, *desumpta cùm à persona ejus, qui illud malum est inducturus videlicet Dei, cujus majestas ac omnipotentia describitur. v.* 5, 6. *tùm à persona eorum, quibus est inducendum, quorum ingratitudo ac pravitas exaggeratur v.* 7. Tertium est exornatio, *quâ exponitur judicium iræ divinæ erga peccatores v.* 7. *qui perdentur increduli v.* 10. *& promissio gratiæ erga credentes reliquias, quæ conservabuntur, etiam variis calamitatibus afflictæ v.* 8. 9. *quomodo* transitus paratur ad posteriorem hujus capitis & prophetiæ totius partem, *quæ* continet promissiones Evangelicas duas, alteram *de restauratione Ecclesiæ Judæorum veteris in fine V, T. collapsæ v.* 11. Alteram *de adunatione Ecclesiæ gentium novæ in N. T. illustri modo advocandæ v.* 12. *More autem prophetis usitato amplificantur à fructibus, in utramq; redundaturis sub typis rerum corporalium; Eorum* fructuum primus *est omnium rerum abundans copia v.* 13. Secundus *ab omnibus bestibus liberatio plenariaq; v.* 14. Tertius *deniq; cujusq; veri ac vivi membri stabilitas perpetua, quæ omnia, quia rationi poterant videri ἀδύνατα, ex persona Dei promittentis ter probantur, quia dictum est Jehovæ, παρ' ῷ οὐκ ἀδυνατήσει πᾶν ῥῆμα, Luc.* 1, 37.

3.

II. Evangelica boni pollicitatio duplex, prior, posterior.

PARS PRIOR.

Vers. 1.

In parte hujus capitis priori explicat Propheta prophetiam & comminationem proximè in fine capitis octavi v. 13 *præcedentem, nempe in visione, quod cultum illorum idololatrarum sit sublaturus cum templo, & in-*

expositione ejus, quod ipsi sint ita casuri, ut nequeant resurgere, sed sint coangustandi, ut nemo quisquam ex illâ calamitate salvus queat evadere. De visione ita loquitur Amos: Vidi *suprà c.* 1, 1, & 8, 1. Illum Dominum *supremum omnium rerum Monarcham, quem Israëlitæ indignè blasphemant, quando per sua idola jurant,* stantem, *imò constitutum firmissimè, sup. cap.* 7, 7. *quasi jam ad inferendas plagas, & ad discessum ab hoc impio populo, accinctum, Confer Ezech.* 9. 3. & 10, 1. 4 *quippe qui non amplius desidebat ac præsentiam suam gratiosam ulterius in eo loco declaraturus erat, sed erectus consisteret*

Quodnā altare hic intelligatur. non Jerosolymitanum.

super illo altari, *in quo immolabant vitulos ac idolis suis, sup. c.* 5, 5. 22. *Id enim potius hoc loco per* ה *præfixum indicari puto, quàm altare, quod erat in templo Hierosolymitano, ut multi interpretes frustra existimant, eò quod si aliud idolis destinatum intelligas, Deus hac suâ præsentiâ, idololatriam approbare videri queat, non considerantes Dei longanimitatem, quæ aliquamdiu connivet, ut agatur pœnitentia, neq; distinguentes inter*

1\. *præsentiam ad præsidium & exscidium, Dei propitij &*
2\. *irati. Neq; attendentes, quod noster propheta, cum hæc*
2\. *ipsi offerretur visio, ageret Bethele, non Jerosolymis, suprà*
3\. *cap.* 7, 13. *Obliti etiam ejus, quod minetur potius Israëlitarum, quàm Judæ regno, suprà cap.* 1, 1. & *membro* 3. *prolegom.*
5\. *Deniq; non reputantes, quod non secus ex hac visione contra hoc altare idololatricum, ejusq; cultores vaticinetur Amos, quàm propheta alius in simili idololatriæ casu,* 1 *Reg.* 13, 1. 2.

Conciliatio.

Quid verò, si dicamus Deum non fuisse semper anteà in templo isto idololatrico, quamdiu tale fuerat, præsentiâ videlicet gratiæ. Jam verò, ut in-

in typo, quid tandem facturus esset, ostenderet, ibidem ad tempus apparuisse, ἀπὸ πιθανότητος addo, quod neq; in templo Jerosolymitano tempore Amos cultus Dei omninò purus fuerit: Ideoq; neq; ibidem juxta hos esse Deum potuisse, vide 2. Chron. 26,27.28. capp. Ita censet Ruffinus, Clarius, & à Castro, idq; probabilius esse putat à Lap. qui probat ulterius ex v. 5, 8.9. Cum itaq; viderem (pergit propheta) Deum jam q. in procinctu esse, ut prorsus ex impio Israëlis regno discederet cum suâ gratiâ, audivi eum ita dicentem *suo ministro, quem, quia hîc non exprimitur, vel angelum, vel fulgur, vel aliam quamcumq; creaturam ac vim majorem à Deo peculiariter ad hoc judicium exsequendum vocatam, possumus intelligere: de angelo tamen accipi malim, quomodo nihilominus Deus hoc judicium ipse intulisse rectè dicitur, confer Zach. 13. 7. & Matth. 26,31. & vide 2. Sam. 24,16. Esa, 37.36. Act. 12, 23. Apoc. 11. 6. & 19, 15. Dixit autem Dominus illi angelo:* percute illud superliminare *portæ templi, tam vehementer,* ut *inde etiam* commoveantur *& contremiscant* ipsi postes, *quibus impositum est, ut significet, quod Assyrij templum ab imis fundamentis convulsuri & subversuri sint, unà cum impio ejus cultu & cultoribus, Sic Hier. Sa, Mariana. Alij per vocem* כַּפְתּוֹר *melogranatum artificiale denotari existimant, quod inter ἀκρωτήρια summo templi fastigio erat impositum. Verùm cum non facilè appareat ratio, quomodo indè postes inferiores, hebraicè* סִפִּים*, ad limen insertus positi commoveri queant, satius esse duco intelligere τὸ ἐπίθεμα, ita dictum habræis, quod in eo flores & poma sculpi & pingi solebant, vide Sophon, 2,14 Exod, 25,33.35. & c. 37,20.21.*

Angeli quæ jussi faciunt, Deus fecisse dicitur.

כַּפְתּוֹר

סִפִּים

Notat itaq; hac percussione vehementi, quâ contremiscit limen & superius & inferius & postes ambo, fore, ut omnes omninò Israëlitæ superiores, inferiores & medij, quotquot sæpissimè per hanc portam ad templum ac altare idololatricum accesserant, prosternantur, sup. cap. 6, 7. Unde se ita explicat: & divide, *saucia & vulnera* ipsos *hoc typo (LXXII. διάκοψον, ut h. l* בצעם *itidem ob commutabilitatem literarum ejusdem organi sit pro* פצעם *ut Joël.2,8 Nam quod alij pleriq; vertunt, avaritiam eorum, non attendunt legendum esse in textu hebræo* בצעם: *atq; ita omnia, quæ pro vulgata versione proferuntur, corruunt facilè fundamento submoto, vide Corn. à Lap. & proinde hîc multum dicere de avaritiæ vitio, ut fecit à Lap. valde prolixè, est extra viam currere. Video tamen id etiam ab aliis esse factum errore communi.)* qui sunt in capite ipsorum *potentes, præcipuos, ac primores, tum ego typum impleturus*, quod post ipsos est, *nempe plebem promiscuam ac vulgus ignobile, Ezech.* 23,26 gladio interficiam, *ut ita à summo ad imum intereant omnes, & nemo effugiat.* Non enim effugiet ex ijs fugiens, *qui putabit se jam effugisse, & rem omnem in vado esse sup,* 2, 11. 14. neq; liberabit se ex iis evasor, *qui unam calamitatem evasit salvus.*

Dei manum nemo potest effugere.

Vers. 2. Hoc per expositionem & μερισμὸν insignem declarat porrò: neminem scilicet posse effugere judicium illud divinum. nullas latebras esse tam occultas, nullum asylum tam tutum, nullam fortitudinem tam potentem, nullam prudentiam carnalem tam astutam, quæ possit ab eo liberare; siquidem nullam reperient angulum in inferno, cælo, deserto, mari, ubi queant esse securi &

ri & á manu Dei tui, ut sciant Dei potentiam in omnes omninò penetrare latebras, & proinde omnia sibi ereptum iri κρησφύγετα. *Confer cum hoc toto loco Psal.* 139, 7. 8. 9 11. 12, *Job.* 11, 8. 9. *Obad.* 2. 4. Nam si foderent in inferno, *per metalepsin hebræis frequentem, ut scilicet lateant in eo: Vel fodiendo ad infernum usq; penetrarent: Vel denique magno conatu hoc agerent, ut se occultarent, quomodo hoc verbum hebr. usurpatur pro valdè laborare Jon* 1, 13. exinde manus mea caperet & *deriperet* eos: & *contra* si ascenderent in cœlum usque, exinde etiam deducerem eos. *Ubi obiter nota ex vi oppositionis, omninò hoc loco per vocem* שְׁאוֹל *intelligendum esse infernum cum Luthero, non verò sepulchrum cum quibusdam Calvinianis. Piscator. Verto: in inferno, quia mox opponitur cœlum, & in hac significatione sepulchri* שְׁאוֹל *occurrit Job.* 11, 8. & 26, 6. שְׁאוֹל

Vers. 3. Et si abderent se *aut occultarentur* in vertice summo Carmeli.

in densis sylvis inter spelæa ferarum,

Confer Jud. 6, 2 1. *Sam.* 13, 6. inde scrutatus caperem eos, & si absconderent se à conspectu oculorum meorum in fundo maris, *h. e. putarent se posse à Dei omnia videntis oculis occultari, sup. c.* 6, 3. inde præciperem serpenti, *Draconi marino, sup c.* 6. 13. *Jon.* 2, 1. 11. ut mordeat eos, *morsuq; suo venenato interficiat. De Carmel vide suprà c.* 1, 2.

Vers. 4. *Quid verò tum fiet? si quidam sua sponte se dediderint hostibus, existimantes, se ita mortem evitaturos: neq; sic evadent. Non contentus exilij pœnâ, morte eos ego afficiam. Nam* si abierint in captivita-

Oculus Dei notat ejus providentiã.

tem coram inimicis suis *Thren.* 1, 5. inde præcipiam gladio ut interficiat eos in itinere *vide Jes.* 13, 15.16. *Jer*. 9, 15.16. & 42, 16. & 43, 11. & 46. 37. Nam ponam *seu adhibebo* oculum meum *Gen.* 44, 21. contra eos in malum *inf. v.* 8. *Jer.* 21, 10. non autem in bonum, *ubi negatio expressa contrarij maximam habet emphasin, q. d. nil boni, sed omne malum inferam, nullibi tegam, ubiq; affligã. Vide & confer Jer.* 39, 12, 61. & 40. 4, & 44, 27. *Psal.* 34, 17. *Jerem.* 20, 6. *Sirac.* 10, 11. & *satis intelliges, oculum Dei signare Dei providentiam, non tantum bonos ex misericordia conservantem, (ut vulgò tantùm explicatur hæc phrasis ἀνθρωποπαθῶς Deo tributa) sed etiam malos ex justitia sua perdentem. Huic autem loco non est contraria promissio Judæis à Jeremia facta c.* 21, 9. *siquidem est peculiaris ad Israëlitas non spectans, de quibus hoc loco agitur, quiq; ut Judæis fuère pejores, ita etiam duriùs afflicti.*

Vers. 5. *Quid autem his apud vos, ô Israëlitæ, proficio? certè admodum parùm: Nam confisi vestris, aliorumq; vicinorum regnorum viribus has minas Dei contemnitis. Verùm agite considerate saltem, quis ille? qui etiam vos, ô infirmissimi! Quid enim inter omnia sublunaria terrà firmius, & tamen hanc si saltem tangit Dominus, liquescit Psal.* 18 8. & 144, 5. Nam Domino Jehovi tangente terram dissolvitur, *Psal.* 46, 7. & 18, 8. 16. & lugere *incipiunt*, quicunq; habitant in ea, *Jos.* 2. 9. conscenditq; quasi rivus tota ipsa, ut submergatur quasi rivo Æpypti, *quomodo in priori membro est hypallage ut c.* 8, 8.

Vers. 6. *Neq; solùm in terra ac fluminibus hic Dominus*

minus potens est, sed etiam in ipso cœlo, in quo maximè ejus relucet majestas, sup. c. 4, 13. *&* 5. 8. *quippe* qui exstruxit in cœlis cœnacula sua *Ps.*104,3. *unde irrigat montes ibid. v.* 13. *& licet revera omnia repleat Jer.*23,23. *& excelsior ipsis cœlis sit Job* 8, 11. *tamen in cœlis ἀνθρωποπαθῶς respectu immutabilitatis, majestatis & celsitudinis habitare dicitur, vide in cap.* 3. *Joël. vers.* 21. *L. C.* 4. *Ideoq; in terra etiam adesse vel ex operibus intelligitur, qui* fasciculum suum, *mare illud magnum, imò omnium aquarum colluviem, hebraicè* מִקְוֵה *Gen.* 1, 10. *Exod.* 7, 19. *Esa.* 22, 11. *quam eleganter à confluendo conflugem vocat Nonius, & conceptaculum seu conceptelam appellat Frontinus, ad vel* juxta terram fundat, *ita ut terra & aquæ ad animalium terrestrium usum unum constituant globum. Unde vice versà terra ad mare fundata legitur, Psal.* 24, 2. *&* 104, 5. *ut ita hoc loco maiestatem Dei probet propheta à creatione cœli, maris ac terræ, habitationis tum sui ipsius, tum hominum, Psal.* 115, 15. 16. *& deniq; imperio in has res creatas, cujus rei vel illud evidens est exemplum, quando per radios solares ex mari aquas attrahit* & ad se *quasi* evocat *in superiorem aëris partem,* ut rursum effundat eas in superficiem terræ, *atq; adeò se esse illum, à quo & per quem sunt, reguntur ac conservantur, imò in quo consistunt omnia ut meritò illud* nomen Jehovæ *sibi soli vindicet, sup. cap.* 5, 8 *Hic mihi sensus hujus versus, ut simplicior, scopo prophetæ & verbis magis congruus, ita videtur etiam melior, quàm quod nonnulli cum Hieronymo per vocem* אֲגֻדָּה *fasciculum electorum, ut* 1. *Sam.* 25, 29. *(qui ibi in textu hebræo dicitur* צְרוֹר הַחַיִּים*, intelligi omninò volunt*

Per fasciculum Dei hoc l. intelligitur mare.

non fasciculus electorum.

volunt, eò quod etiam Chaldæus vertit וּכְנִישְׁתֵּיהּ עַל אַרְעָא קַשְׁטָהּ *& Ecclesiam suam in terrâ decoravit. Hi enim non vident, primo hanc vocem Chaldæam esse generalem, & quamlibet collectionem notare: κατ' ἐξοχὴν autem & strictè quandoq́, Ecclesiam significare. Deinde non animadvertunt, fasciculum electorum non esse fundatum super terram, sed super Christum fundamentum suæ Ecclesiæ, 1. Cor. 3, 11. hominem & Adamum secundum de cœlo cœlestem 1. Corint. 15, 47. Deniq́, cohærentiam textus non satis videntur attendere. Hebræi elementa quasi sub cœlo constructa intelligunt. Alij totum terrarum orbem, quasi fasciculum meritò h. l. dici ajunt: quia Deus eum tribus metiri potest digitis, Esa. 40, 12. 15. ubi tamen per* שָׁלִישׁ *melius intelliges triental mensuræ certæ speciem ut Psal. 89, 6. Et licet hoc, quod ad rem ipsam attinet, verissimum sit, quomodo tamen hanc explicationem hujus loci probet aut juvet, non video. Nonnulli omnia sublunaria inferiora composita, rectè posse accipi existimant, & propterea dici fasciculum, quod ex variis coacta sint & constent elementis ut fasciculus. Sed age, perpende saltem, quomodo hæc sint super terram fundata, cum singula elementa suum naturaliter teneant locum, nec omnia terram attingant, nec ab eâ q. fundamento sustententur. Junius deniq́, ut mittam alias explicationes plures (ex quibus & illa, quam recitat Mercerus in Pagnini Lexico, quod ineptè quidam novitatis studiosi legis ergastulum exponant, quo in terra homines coërceantur, & ineptiùs nomen hoc ad Rad.* גּוּר *vel* גָּדַר *referant: sic etiam LXX. vertentes καὶ τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ, videntur referre ad* הַגִּיד*, Sane & hoc malè, Dn. Schindlero in*

non totus terrarum orbis,

non omnia sublunaria.

in Lexico non malè censente) expendens locum [illegible] 2. Sam. 2, 25. statuit designari hominum & rerum creatarum turmas à Domino Deo Zebaoth ita comparatas, ut quæcunq; velit, promptissimè exsequantur judicia, & propterea dici cuneum Dei super terram fundatum hoc est, firmissimè constitutum. Quæ quidem sententia inter adductas ex interpretibus, mihi videtur optima, sed antecedentibus & consequentibus, ubi de aquis potissimùm agitur, non ita benè quadrare, quàm ea, quæ primo loco à nobis est posita, eamq; quia non facilè ab iis admissum iri credo, qui, nisi quod ipsi vel alij veteres interpretes viderint, nihil rectum putant, pluribus declarandam & quantum fieri potest ex bibliis confirmandam putavi, siquidem in duobus tantùm præterea locis in toto T. V. Exod. 12, 22. Esa. 58, 6. extat hæc vox hebræa, & nil aliud nisi colligationem seu collectionem in genere inde probare poteris: siquidem illic fasciculum hyssopi: hîc sarcinas collectas & constrictas denotat. Vide, si libet & otio abundas, quomodo de fasciculo præter rem philosophetur à Lap. nempe globus terræ est fasciculus sextupliciter &c. quidni septupliciter, ut numerus sit perfectior?

non omnium rerum creatarũ turmæ.

Vers. 7. Cum verò hæc moderatis & candidis hominibus satisfacere & me excusare possunt, rixatoribus autem ut me probem, non laboro, ad ea, quæ restant in textu, ex diverticulo revertor: ubi Deus occurrit vanissimæ Israëlitarum persuasioni: Nos sumus peculiaris Dei populus, quem tam mirabliter ex Ægypto eduxit, ideoq; nos non ita perdet, ut vaticinatur Amos: hoc argumentum invertens, dupliciter I. quia vos liberavi tam mirabiliter, non ergo amplius inde vobis, sed vos

mihi tanto beneficio devincti estis & obstricti ad omnia gratæ mentis officia, & quia hæc nequaquam præstatis, meritò vos puniam ingratos, supr. cap. 2, 6. 7. & 3, 22, & c. 6, 2. & 7, 7. II. Quia aliis gentibus prophanis etjam hoc beneficium liberationis ex tyrannide præstiti, nempe Æthiopibus, Philistæis ac Syris, qui nihil inde quod glorientur, aut immunitatem à calamitatibus sibi promittant, habent, quid vos ob hanc excellentiam, vos ita jactatis miseri? quæ etiam vobis malis majorum miseriarum erit causa, cum illa abutamini pessimè, & quia cum gentibus eadem perpetratis flagitia, iisdem vos polluitis criminibis, an non pares filiis Æthiopũ *seu ipsis Æthiopibus, Buxt. Th. p.* 328; estis mihi, ô filii Israelis, *quibus non peperci peccantibus, Esa* 18. 8. dictum Jehovæ *Æthiopum autem voluit sine dubio primo mentionem facere; quia licet magnis à Deo essent affecti beneficiis Israëlitæ, manebant tamen tales, quales erant, nec se ullo modo emendabant, ut ex nigris fierent candidi, quemadmodum Æthiops non potest mutare cutem, Jer.* 13. 23. *vide Psal.* 7. *titulum. Non est igitur, quod Israëlitæ sibi propterea videantur esse aliis meliores, quod Abrahamum habent patrem, Matth.* 3, 9. *qui opera Abrahami non faciunt, sed patris sui diaboli, Joh.* 8, 39. 41. *& in Deum sunt ingratissimi, Deut.* 32, 5. 6. *omnium illorum beneficiorum obliti, Psal.* 78, 11. Annon enim ego Israëlitas deduxi ex terra Ægypti, ut Philistæos è Caphthore, & Syros è Kyro? *quæ quia tum temporis notissimæ adhuc erant historiæ, adducuntur à propheta, licet in bibliis non sint literis proditæ. Confer tamen Gen.* 10, 14, 22, *Deut*, 2, 23. *Jer.* 47, 4. 2. *Reg.* 16, 4. *supr.* 6, 1, 5.

Æthiopũ cur h. l. fiat mentio.

5,1,5. D. *Osiander ita hæc exponit. Quemadmodum per Æthiopes ejeci alias gentes è suis sedibus, & per vos ejeci Cananæos, per Cappadoces vi eos, qui olim erant in Palæstina, per Cyrenenses eos, qui aliquando tenebant Syriam, ita vos facilè iterum ex terra Canaan exterminare, & alias gentes, Assyrios nimirum, in locum vestrum possum collocare. Non enim Deus nobis ita obstrictus est, ut non liceat ipsi beneficia sua auferre, atq; in alios populos conferre.*

Vers. 8. *Quod cum ita sit, nihil est in vobis proprium, cur sitis præferendi hoc nomine gentibus, sed quicquid prærogativarum habetis, etiam vos misericordiæ divinæ debetis, quæ tamen non impedit, quò minus malitiosos affligat ex justitia.* Ecce enim *(quæ hoc loco est asseverationis particula)* oculi Domini sunt contra hoc regnum, *suprà vers.* 4. peccans, *in peccatis cum aliis, cum imprimis idololatria contumaciter perseverans, quæ peccatum* κατ' ἐξοχὴν *dicitur, Exod.* 32. 21. 1. *Reg.* 12, 30. & 15, 3. 30. *& propterea regnum, quod mihi non servierit, peribit, inquit Dominus, Esa.* 60, 12. *Jerem.* 5, 3. 9. *qui non muto, Malach.* 3, 6, *Ideoq; facies mea irata erit contra regnum Israëlis idololatricum,* ut perdam ipsum è superficie terræ. *In media autem ira recordabor misericordiæ meæ, & deletis improbis servabo pias reliquias,* & non omninò perdam domum Jacobi, *qui patris hujus sui pij insistentes vestigiis seriâ pœnitentiâ reversi à malo fide in Deum verâ recumbunt,* dictum Jehovæ, *qui promisi hoc longè antè Lev.* 26, 40. *Et hoc impletum, quando multi Israëlitæ cum Judæis ex Assyria in terram sanctam sunt reversi.*

Vers. 9. *Hujus promissi memor, curabo ut tantùm*

improbi & peccatores obstinati perdantur ; reliqui vero dociles ac pij salvi fiant, sic tamen quasi per ignem, 1, Corinth, 3, 15. & per multas tribulationes, Actor, 14, 22. Nam ecce ego præcipiens *calamitatibus hostibusq́, permittens, sup. v. 4. & c. 6, 11,* agitabo inter omnes gentes domum Israëlis, quemadmodum agitatur *(frumentum)* in cribro *seu vanno,* ita ut non decidat lapillus, *qui in ipso frumento est, & ei saltem magnitudine æqualis,* in terram. *Piscator per lapillum ipsum tritici granum propter pondus vult intelligi, quod non potest probari.*

Vers. 10. Gladio *autem* morientur omnes peccatores *idolatriâ infecti* in populo meo, *quorum incredulitas insignis vel ex hoc elucet, quod licet jam toties audierint minas sibi meo nomine denuntiatas, tamen vana confidentia turgidi* dicunt: Non assequetur, nec obveniet nobis hoc malum, *hæc vexatio, hæc calamitas à propheta prædicta, supr. c. 6, 3, 13. Esa. 28, 15. Jer. 7, 8. & 5, 11. 12.*

Similitudo à lapillis desumpta explicatur.

In versu præcedenti obscurior est illa comparatio, à lapillis desumpta : siquidem lapilli ex frumento solent vel manibus excempti prorsus abjici; vel alio modo, seu arte indè removeri, hic autem pij servandi dicuntur, ut illi; Si cui itaq́ minus arriserit prius allata explicatio, quam saniores interpretes pleriq́ omnes tradunt, & quæ à minus ad magis concludit hoc modo : Si lapilli, qui sunt in frumento, simul à casu in terram sunt immunes, multò magis pij, qui sunt quasi pura grana, ab excidio æterno erunt liberi, dabo ei aliam, quam Jesuita Ribera indicat, plenùs evolutam, atq́ ex scripturâ confirmatam expositionem,

tionem, nec à scopo prophetæ alienam, nec malè cum antecedentibus & conseqq. cohærentem. Ea est hæc. Solent Prophetæ sæpius de una metaphorâ transire ad alteram, cum utraque est nota, & ad rem subjectam quadrat. Cum itaq; Ecclesia modò agro ac semini in eo, modò domui assimiletur in scriptura: ad priorem metaphoram satis manifestà alludit Propheta, dum pios frumenti granis confert, vide Matth. 3, 12. & c. 13, 30. Ad posteriorem verò digitum intendit in seqq. quando ait: Et non decidet lapillus in terram, puta qui in domo Dei Genes. 28, 17, 1. Timoth. 3, 15. 2. Timoth. 2, 20. spirituali illo ædificio Ephes. 2, 21. templo Dei 1. Corinth. 3, 11. petræ Matth. 16, 18. ac lapidi angulari Christo Eph. 2, 20. inhæret, tanquam lapis parvus, & vivus, superædificatus 1. Petr. 2, 5. excisus à rupe illâ antiqua Abrahamo Esa. 51, 1. 2. Et propterea satis convenienter illud fit hoc loco, quia in fine v. 8. Ecclesia domus Jacob, in principio v. 11. tugurium dicitur, in quo sunt rupturæ ac demolitiones, dum excidunt grana putrida & lapilli pravi & inutiles: Illa à Deo cribrata Luc. 22, 31. ibi imbribus ac procellis calamitatum impulsi ac revulsi Matth. 7, 27. Luc. 8, 13. à Christo autem justo judice comminuti Matth. 21, 44.

Prophetæ de unà metaphorâ transeunt ad aliam eodem in loco.

LOCI COMMUNES

Ex versu. 1.)

Deus non tantum in Ecclesia regnat, ut bonos defendat; Ps. 9, 8. 11. 13. & 46, 1. 5. sed etiam ut malos puniat Ps. 11, 4. 5. 6. 7. & tam diu saltem in aliquo templo manet gratiosè, quamdiu vera doctrina & legitimus sacramentorum usus mediocriter viget Matth. 28, 20. ac ali-

Quamdiu Ecclesiæ cives sunt pij, Deus illis adest.

qui saltem fructus Christianis dignos edunt Luc. 13. 6. Matth. 21, 41. quod si planè non fit, discedit ipsius gratia, remanet tantùm ejus ira, siquidem non habitat tantùm in templis manu factis Act. 8, 28. & 17, 24. nec cum reprobis Ps. 5, 5. 6. 7. sed ejus tugurium est Salem. Ps. 76. 3.

Ex versu 2. & 3.)

Dei manū nemo effugit.

I. Ex Dei irati manu nemo potest eripere Job. 10, 7. nec ullus eam effugere Ps. 139. 10, sicut testantur exempla Zidkia, 2. Reg. 25, 4. 5. Jonæ 1, 4. 5. aliàs multi evaserunt pericula maxima salvi, verum Dei auxilio adjuti Esa. 43, 1, 2. Cor. 11, 23. exemplum insigne habes in Apostolo.

Ad Deum in malis confugiendum.

II. Deus est, qui afflictiones affert justo suo judicio supr. cap. 3. 6. is autem si pro nobis, nil contra nos Rom. 8. 31. Ps. 27, 1. Psal. 56, 4. 5. Ad hunc igitur in omnibus calamitatibus per mediatorem confugiendum est, Dan. 9, 5. 17. Rom. 8, 34. Eph. 1, 18.

Ex versu 4.)

Providentia divina non tantùm tuetur bonos, sed etiam punit extremè malos Psal. 18, 27. 28.

Ex versu 5.)

Contra Dei potentiam nihil satis firmum c. 1. 3. 4. 7. Psal. 10, 5. 6.

Ex vers. 6.)

Dei majestas elucet in cœlo, mari ac terra sup. c. 4. 13. & 5. 8.

Ex vers. 7.)

Qui multum accepit, ab illo multum reposcitur.

Non respicit Deus in suo judicio, quanta quis acceperit ab ipso beneficia, sed quanta erga ipsum fuerit gratitudine ac fide 1. Cor. 10, 2. 3. 4. 5. Matth. 11, 20. 21. & quò major nobis obtingit gratia, tantò atrociores pœnæ

maneant contemptores, ac proinde etiam atq; etiam cogitandum est omnibus, quod monet autor ad Hebr, cap. 2, 1.2.3. Sic enim omnis transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit, quomodo nos effugiemus, si neglexerimus tantam salutem? Confer. Luc. 12, 48.

Ex versu. 8.)

Dei reliquiæ.

I. Semper sibi aliquas reservat Dominus reliquias, quas mundo pereunte servet, ut in diluvio Noachum, in tyrannide regis Ægyptiaci Mosen, in captivitate Babylonica Danielem vide cap. 11. epist. ad Rom.

II. D. Osiand. Sicut bonus paterfamilias non tantùm procurat, ut uxor, liberi & servi victum & alia necessaria habeant, sed etiam hoc agit, ut ipsorum mores regantur & corrigantur, & insanabiles domo ejiciantur: ita pater cœlestis non tantùm in hoc vigilat, ut Ecclesiæ benefaciat: sed etiam ut errantem & graviter peccantem populum castiget.

Ex versu 9.)

orandum

Quia scimus per mittente Deo facilè posse fieri, ut à diabolo velut triticum cribremur, cautè agamus, ac oremus, ne deveniamus in tentationem, Luc. 22, 31. 46.

Ex versu 10.

Securitas carnalis.

Securitas carnalis gravissimum est flagitium & à Deo punitur, sup. 6, 1.

PARS POSTERIOR.

Versu. 11.)

Tandem propheta post severissimas minas consolationes proponit dulcissimas, verè Evangelicas, in Christo com-

complendas, siquidem, quandocunq; volunt propheta aliquid veræ ac solidæ spei afflicto populo facere, proponunt Messiam, quia in ipso etiam reliquæ omnes promissiones sunt certæ ac fiunt ratæ 2. *Cor.* 1, 20. *Quia vero in V. T. temporis articulum, quo venturus erat ille in carnem, ignoraverunt & inquisiverunt,* 1. *Petr.* 1, 11. *in genere plerumq; loquuntur* in die, *seu in tempore* illo, *puta à sanctis ex spiritu Dei latè indicato, Gen.* 49, 10. *Dan.* 9, 24. *& à Deo præcisè constituto, Gal.* 4, 4. *Joël.* 2, 28. *&* 3, 1. *Ad tempus igitur N. T. prophetam respicere certum est, & non ad reditum ex captivitate Babylonicâ, quia Israëlitis, non Judæis loquitur. Die vero illo salutis ac gratiæ,* 2. *Corinth.* 6, 1. *Roman.* 13, 11. *in Christo incarnato ac passo consummatæ Johan.* 19, 30. *quando corpore advenientе cessaverunt umbræ Col.* 2. 17. *Hebr.* 10, 1. *& major Evangelij lux affulsit. Rom.* 16. 20. 2. *Tim.* 1, 9. 10. *Hebr.* 8, 6. *quomodo lex fuit introductio ad spem meliorem, Hebr.* 7, 19. erigam *per prædicationem Apostolorum Ecclesiam Christi, hactenus cùm per corruptelas falsorum doctorum, Matth. cap,* 5, 6. 23. *tum per crudelitatem tyrannorum, de qua lib. Maccab. passim, valdè collapsam & proinde non magnum ac potens ædificium, sed* tugurium, quòd cecidit, *ac ruinam totalem jamjam minari videtur, suprà c.* 5, 2. sepiam rupturas earum, *unius cujusque puta Ecclesiarum particularum* ac demolitiones ejus restituam & reædificabo illud, *ut sit tam gloriosum, quàm fuit* olim, *ob Dominum gloriæ præsentem in carne, longè gloriosius templo priori.* 1. *Cor,* 2, 8. *Hag.* 2, 8, 10. *Atq; ita rectissimè per Davidis tugurium Christi Ecclesiam intelligimus: tum quia hîc, eò quod David*

Messiam cur toties proponant prophetæ.

Tuguriũ Davidis Ecclesia.

David insignem ejus gessit typum, sæpè appelletur David in V. T. Hos. 3, 5. Jer. 30, 9. Ezech. 34, 24. & 37, 24. & non secus varias, imò omnes gentes suo regno spirituali in N. T. sit subjecturus per Apostolos, Eph. 1, 22. & 3, 6 Col. 1, 27. 28. Matth. 28, 19. ut olim David multas gentes regno Israëlitico adjecit, 2. Sam. 8. & 10, tum quia de vocatione ejus (Ecclesiæ) in N. T. futura hic agatur, ut explicat S. S. per Jacobum, Act. 15, 13. 15. 16. 17. In cujus dicti collatione cum textu præsenti si observaveris ea, quæ suprà ad c. 5. v. 25. generatim dicta sunt, facilè, quomodo conciliari queant, videbis, nempe, quod I. sit facta additio verbi ἀναστρέψω, quia & jam sæpè antea fuerat Ecclesia hæc variis modis instaurata, 2. Reg. 11, 12. 18. c. 13. 4, 2. Chron. 29. & 30. Exod. 10. Neh. 8, 10. & jam planè recessisse Deus videbatur. II. Levis quædam, quoad verba, mutatio, manente sensu & scopo eodem. Nam per metalepsin quærere Dominum dicuntur, qui postquam quæsiverunt, & invenerunt, futuri sunt hæredes, & quod propheta Edomæis in specie, Apostolus in genere dilucidiùs de omnibus hominibus, extra Ecclesiam viventibus, Dei hostibus Joël. 3, 19. exponit. Quod si etiam omnino existimas vertenda esse verba hebræa, ut possideant reliquias Edom neq; sic sententiæ Evangelistæ quicquam decedit, siquidem illos tantùm ad se recipit & possidet vera Ecclesia, qui quærunt ex animo Deum, ut sanè supervacaneum sit, & esse videatur in rebus adeò perspicuis hærere diutius. Vide etiam quæ habet Calvinus lib. 2. Instit. cap 6. §. 3. & Bellarminus lib. 2. de cultu sanct. cap. 6. (mihi) pag. 319.

Christus vocatur David.

Collatio dictorum hujus loci & Act. 15. 13. 15. 16. 17.

Est hic additio.

Mutatio.

Vers. 12. Finis autem restitutionis Ecclesiæ in N. T.

illustris est vocatio gentium Eph. 2. *de quâ ita vaticinatur Amos,* ut hæredes sint cum reliquiis Edomi, & omnibus gentibus, quæ vocantur de nomine meo, *Christi videlicet Christiani Act.* 11, 26. *confer Joël.* 2, 32. dictum Jehovæ, qui facit istud *omne, scilicet quod hactenus promisit, quomodo ad perspicuitatem ab Apostolo vertitur: ut vel hinc satis liquere possit, quomodo pro sua omnipotentia Deus ex erroribus quibusdam verum, ex malis bonum noverit elicere. Cum enim procul dubio is, qui est autor græcæ versionis tum usitatæ, deceptus cognatione literarum legisset perperam in textu hebræo pro* יִרְשׁוּ יִדְרְשׁוּ; *pro* אֶת אוֹתִי; *pro* אֱדוֹם אָדָם, *ita hunc lapsum direxit Spiritus S. ut nihil, quod à vero sensu esset alienum, inde liceat elicere, sed ad ædificationem & institutionem gentium faciant omnia. Quæ etiam causa est, quod Lucas non adeò præcisè omnia ex illâ versione Græca hoc loco citaverit. Quin nec illud prætereundum, cum dicat Jacobus, hos esse sermones prophetarum, ipsum non tantum ad unicum hunc ex Amos, in quo pleraq; extant, sed potius ad multos alios similes prophetarum locos in suâ citatione respexisse, quos tamen neq; omnes, neq; integros, sed tantum eorum summam annotare hoc loco visum est, ut non sit mirum, omnia omnino verba in utroq; loco* παράλληλα *esse eadem, qualem multorum scripturæ ex V. T. locorum cumulationem in N. T. cùm alibi sæpè, tùm Roman.* 3, 10. *&c. insignem observare licet. Inspice parall. sacr. F. Junij.*

Deus ex quibusdã erroribus novit verum elicere,

Lucas in Actis ex multis locis citat

Vers. 13. *Atq; hactenus promissio Evangelica duplex, sequuntur ejus fructus & commoda valdè magna*

in

in restauratum Christi regnum redundatura. De primo, insigni nimirum spiritualium omnium rerum copiâ, more prophetarum per corporales benedictiones spirituales describens, quia istis populus rudis erat assuetus Lev. 26, 5. ita ait (confer Joël. 3, 16. Eph. 1. 3.) Ecce n. dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quibus attinget arator messorem, & calcator uvarum *seu vindemiator* satorem, *hebraicè, protrahentem semen Psal.* 126. 6. & stillabunt montes mustum & omnes colles præ pinguedine colliquescent. *Et ut verè dicam de spirituali benedictione, quod est apud Poëtam,*

Sub nomine benedictionum corporalium spirituales intelliguntur.

Joël. 3, 5.

--- subitis messor gaudebit aristis,
Rorabunt querceta favis, stagnantia passim
Vina fluent, oleiq; lacus. Claudian. lib. 1. in Ruffin.

Vers. 14. *De secundo fructu, plenariâ nimirum ab hostibus liberatione hæc subjicit:* Et reducam captivam multitudinem populi mei Israëlis *Psal.* 126, 1. *(ubi in textu hebræo iterum est elegans paronomasia : וְשַׁבְתִּי שְׁבוּת) neq; tantum reducam ex exilio, sed etiam deinceps faciam, ut habitent in summâ securitate ac tranquillitate Jer.* 23, 5. Nam ædificabunt civitates desolatas *Esa.* 65, 21. ut inhabitent, & conserent vineas, ut bibant vinum earum, facientq; hortos, ut comedant fructum eorum, *ut ita tollantur maledictiones & minæ legis suprà c. 5, 11, denunciatæ. Nugæ per solæ re vera sunt, quando hæc ita (referente Franc. Lambert.) explicantur, per civitates status conjugatorum, per vineas status prælatorum & magistrorum, per hortos status monachorum intelligi.*

Vers. 15. *Et deniq; ita stabiliam eos (qui est tertius*

tius & ultimus fructus.) *ad salutem ita custodiam* 1. *Pet.* 1, 5. *ut nemo eos rapere ex manu mea possit Joh.* 10, 28. Nam plantabo eos in terra ipsorum, ut non evellantur amplius, *vi ullâ scilicet externâ*, è terrâ suâ, quam dedero ipsis. *Cujus promissionis in cœlesti patria erit complementum Hebr.* 11. 14, 15. & 13, 14. *ut sint quasi arbores plantatæ in paradiso Dei, sup. c.* 8, 1. *Psal.* 1, 3. & 92, 14. *quæ firmissimas egerunt radices, ut revelli haud queant, quomodo verba hebræa* נָטַע & נָתַשׁ *eâdem metaphorâ sibi elegantissimè opposita sæpè legere est, vide Psal.* 9, 7. *Exod.* 15, 17. *Psal.* 44. 3. & 80, 8. 16. *Jer.* 1, 17. & 32, 41 *Neq; tamen hinc sequitur, quod Calviniani ex eo conantur evincere, renatos gratiâ Dei excidere haud posse, etiam tum, cum contra conscientiam se polluunt peccatis: quia nisi palmes manserit in Christo per fidem, abjectus arescit, & in ignem abjicitur Joh.* 15, 2. 4. 6. *& ramus Christo fide insitus, si non permanserit in veritate, exscindetur & per incredulitatem defringetur Rom.* 11. 17. 20. 22. *Nam de protectione Ecclesiæ ex parte Dei futura agit potissimum, sicut & multa alia ad hunc palliandum errorem à Calvinianis allata dicta. Illa verò tam diu singulis applicari rectè potest, quamdiu sunt vera & viva Ecclesiæ membra. Vide Exercit. bibl. edit.* 3. *p.* 933. 934 993. 994. *Atq; hæc omnia, quæ hactenus per prophetam prædicta, sunt verissima, & certissimè futura, quia* dixit Jehova, Deus tuus, *tibi jam in Christo placatus Joh.* 20, 17.

נָטַע & נָתַשׁ opposita. Calvinianorum error hinc non potest probari.

LOCI COMMUNES

Ex versu 11.)

1. *Misericors & gratiosus est Jehova, non in æternum*

Jehova est gratiosus.

num litigat, neq; in seculum iram asservat Psal. 103, 8. 9. quapropter surgens miseretur Sionis, quia tempus est faciendi ei gratiam, quia advenit statum tempus Psal. 102, 14. 15.

II. Licet sæpè miserrimus Ecclesiæ sit status, ut vix videatur tugurium Esa. 1, 8 *illa domus Dei Gen*, 28, 17. 2. *Tim*. 2, 20. *Vide*. 1. *Reg*. 19, 10, 14. *Matth*. 24, 37. 38. *Tamen semper duratura est, usq; ad mundi finem Matth*. 16, & 28, 20. 1. *Cor*. 11, 26, *Eph*. 4, 11. Ecclesia durabit,

Ex versu 12.)

Electi pauci Matth. 20, 16. *respectu multitudinis pereuntium dicuntur reliquiæ in scripturâ Esa* .1, 9. & 10, 21. *Rom*. 9, 27. *Confer* 1. *Reg*. 19, 18 *Roman*. 11, 5. *quod notes contra Huberum, qui omnes omninò homines propriè electos esse somniat, in quo absurdo errore est contradictio in adjecto. Si enim omnes, non est electio: si electio, non omnes. confundit verò is dilectionem cum electione, quarum illa ad antecedentem (puta universalis) Dei voluntatem, hæc peculiaris nempe, ad consequentem pertinet.* Pauci sunt electi.

Ex versu 13.)

Euntes per vallem lacrymarum cum Christo Psal. 23. 4 *benedictionum tandem operit pluvia Psal*. 84, 7. *ut boni cordis ager proferat fructum centuplum, Matth*, 13. 23. *in spirituali Dei arvo*, 1, *Cor*, 3, 9. *in quo plantant & rigant verbi divini ministri, ib. Deus autem dat incrementum, ib. v.* 6. *& sol justitiæ emittens suæ gratiæ radios Mal*. 4, 2. *facit, ut plantæ fructum ferant plurimum, qui maneat Joh*. 15, 16. *quam vim habent plantulæ illæ cœlestes ab hortulano cœlesti. ib. v*. 1. *Esa*. 61, 3. Deus cœlestis hortolanus benedicit suis plantulis.

qui

volunt, eò quod etiam Chaldæus vertit ועל כנישתיה על ארעא קשטה *& Ecclesiam suam in terrâ decoravit. Hi enim non vident, primo hanc vocem Chaldæam esse generalem, & quamlibet collectionem notare; κατ᾽ ἐξοχὴν autem & strictè quandoq; Ecclesiam significare. Deinde non animadvertunt, fasciculum electorum non esse fundatum super terram, sed super Christum fundamentum suæ Ecclesiæ, 1. Cor. 3, 11. hominem & Adamum secundum de cælo cælestem 1. Corint. 15, 47. Deniq; cohærentiam textus non satis videntur attendere. Hebræi elementa quasi sub cælo constructa intelligunt.*

non totus terrarum orbis,

Alij totum terrarum orbem, quasi fasciculum meritò h. l. dici ajunt: quia Deus eum tribus metiri potest digitis, Esa. 40, 12. 15. ubi tamen per שליש *melius intelliges triental mensuræ certæ speciem ut Psal. 89, 6. Et licet hoc, quod ad rem ipsam attinet, verissimum sit, quomodo tamen hanc explicationem hujus loci probet aut juvet, non video.*

non omnia sublunaria.

Nonnulli omnia sublunaria inferiora composita, rectè posse accipi existimant, & propterea dici fasciculum, quod ex variis coacta sint & constent elementis ut fasciculus. Sed age, perpende saltem, quomodo hæc sint super terram fundata, cum singula elementa suum naturaliter teneant locum, nec omnia terram attingant, nec ab eâ q. fundamento sustententur. Junius deniq;, ut mittam alias explicationes plures (ex quibus & illa, quam recitat Mercerus in Pagnini Lexico, quod ineptè quidam novitatis studiosi legis ergastulum exponant, quo in terra homines coërceantur, & ineptiis nomen hoc ad Rad. גור *vel* גדר *referant: sic etiam LXX. vertentes καὶ τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ, videntur referre ad* הגיד*, Sane & hoc malè, Dn. Schindlero in*

in Lexico non malè censente) expendens locum [illegible] *2. Sam. 2, 25. statuit designari hominum & rerum creatarum turmas à Domino Deo Zebaoth ita comparatas, ut quæcunq; velit, promptissimè exsequantur judicia, & propterea dici cuneum Dei super terram fundatum hoc est, firmissimè constitutum. Quæ quidem sententia inter adductas ex interpretibus, mihi videtur optima, sed antecedentibus & consequentibus, ubi de aquis potissimùm agitur, non ita benè quadrare, quàm ea, quæ primo loco à nobis est posita, eamq; quia non facilè ab iis admissum iri credo, qui, nisi quod ipsi vel alij veteres interpretes viderint, nihil rectum putant, pluribus declarandam & quantum fieri potest ex bibliis confirmandam putavi, siquidem in duobus tantùm præterea locis in toto T. V. Exod. 12, 22. Esa. 58, 6. extat hæc vox hebræa, & nil aliud nisi colligationem seu collectionem in genere inde probare poteris: siquidem illic fasciculum hyssopi: hîc sarcinas collectas & constrictas denotat. Vide, si libet & otio abundas, quomodo de fasciculo præter rem philosophetur à Lap. nempe globus terræ est fasciculus sextupliciter &c. quidni septupliciter, ut numerus sit perfectior?*

non omnium rerum creatarũ turmæ.

Vers. 7. Cum verò hæc moderatis & candidis hominibus satisfacere & me excusare possunt, rixatoribus autem ut me probem, non laboro, ad ea, quæ restant in textu, ex diverticulo revertor: ubi Deus occurrit vanissimæ Israëlitarum persuasioni: Nos sumus peculiaris Dei populus, quem tam mirabliter ex Ægypto eduxit, ideoq; nos non ita perdet, ut vaticinatur Amos: hoc argumentum invertens, dupliciter I. quia vos liberavi tam mirabiliter, non ergo amplius inde vobis, sed vos

mihi tanto beneficio devincti estis & obstricti ad omnia gratæ mentis officia, & quia hæc nequaquam præstatis, meritò vos puniam ingratos, supr. cap. 2, 6. 7. *&* 3, 22. *& c.* 6, 2. *&* 7, 7. *II. Quia aliis gentibus prophanis etjam hoc beneficium liberationis ex tyrannide præstiti, nempe Æthiopibus, Philistæis ac Syris, qui nihil inde quod glorientur, aut immunitatem à calamitatibus sibi promittant, habent, quid vos ob hanc excellentiam, vos ita jactatis miseri? quæ etiam vobis malis majorum miseriarum erit causa, cum illa abutamini pessimè, & quia cum gentibus eadem perpetratis flagitia, iisdem vos polluitis criminibis,* an non pares filiis Æthiopũ *seu ipsis Æthiopibus, Buxt. Th. p.*328, estis mihi, ô filii Israelis, *quibus non peperci peccantibus, Esa* 18. 8. dictum Jehovæ *Æthiopum autem voluit sine dubio primo mentionem facere, quia licèt magnis à Deo essent affecti beneficiis Israëlitæ, manebant tamen tales, quales erant, nec se ullo modo emendabant, ut ex nigris fierent candidi, quemadmodum Æthiops non potest mutare cutem, Jer.* 13. 23. *vide Psal.* 7. *titulum. Non est igitur, quod Israëlitæ sibi propterea videantur esse aliis meliores, quod Abrahamum habent patrem, Matth.* 3, 9. *qui opera Abrahami non faciunt, sed patris sui diaboli, Joh.* 8, 39. 41. *& in Deum sunt ingratissimi, Deut.* 32, 5. 6. *omnium illorum beneficiorum obliti, Psal.* 78, 11. Annon *enim ego* Israëlitas deduxi ex terra Ægypti, ut Philistæos è Caphthore, & Syros è Kyro? *quæ quia tum temporis notissimæ adhuc erant historiæ, adducuntur à propheta, licet in bibliis non sint literis proditæ. Confer tamen Gen.* 10, 14, 22, *Deut,* 2, 23. *Jer.* 47, 4. 2. *Reg.* 16, 4. *supr.* 6, 7, 5.

Æthiopũ cur h. l. fiat mentio.

c,1,5. *D. Osiander ita hæc exponit. Quemadmodum per Æthiopes ejeci alias gentes è suis sedibus, & per vos ejeci Cananæos, per Cappadoces vi eos, qui olim erant in Palæstina, per Cyrenenses eos, qui aliquando tenebant Syriam, ita vos facilè iterum ex terra Canaan exterminare, & alias gentes, Assyrios nimirum, in locum vestrum possum collocare. Non enim Deus nobis ita obstrictus est, ut non liceat ipsi beneficia sua auferre, atq; in alios populos conferre.*

Vers. 8. *Quod cum ita sit, nihil est in vobis proprium, cur sitis præferendi hoc nomine gentibus, sed quicquid prærogativarum habetis, etiam vos misericordiæ divinæ debetis, quæ tamen non impedit, quò minus malitiosos affligat ex justitia.* Ecce enim (*quæ hoc loco est asseverationis particula*) oculi Domini sunt contra hoc regnum, *suprà vers.* 4. peccans, *in peccatis cum aliis, tum imprimis idololatria contumaciter perseverans, quæ peccatum κατ' ἐξοχὴν dicitur, Exod.* 32. 21. 1. *Reg.* 12, 30. & 15, 3. 30. *& propterea regnum, quod mihi non servierit, peribit, inquit Dominus, Esa.* 60, 12. *Jerem.* 5, 3. 9. *qui non muto, Malach.* 3, 6. *Ideoq; facies mea irata erit contra regnum Israëlis idololatricum,* ut perdam ipsum è superficie terræ. *In media autem ira recordabor misericordiæ meæ, & deletis improbis servabo pias reliquias,* & non omninò perdam domum Jacobi, *qui patris hujus sui pij insistentes vestigiis seriâ pœnitentiâ reversi à malo fide in Deum verâ recumbunt,* dictum Jehovæ, *qui promisi hoc longè antè Lev.* 26, 40. *Et hoc impletum, quando multi Israëlitæ cum Judæis ex Assyria in terram sanctam sunt reversi.*

Vers. 9. *Hujus promissi memor, curabo ut tantùm*

improbi & peccatores obstinati perdantur: reliqui vero dociles ac pij salvi fiant, sic tamen quasi per ignem, 1, Corinth, 3, 15. & per multas tribulationes, Actor, 14, 22. Nam ecce ego præcipiens *calamitatibus hostibusq́ permittens, sup. v. 4. & c. 6, 11,* agitabo inter omnes gentes domum Israëlis, quemadmodum agitatur *(frumentum)* in cribro *seu vanno,* ita ut non decidat lapillus, *qui in ipso frumento est, & ei saltem magnitudine æqualis,* in terram. *Piscator per lapillum ipsum tritici granum propter pondus vult intelligi, quod non potest probari.*

Vers. 10. Gladio *autem* morientur omnes peccatores *idolatriâ infecti* in populo meo, *quorum incredulitas insignis vel ex hoc elucet, quod licet jam toties audierint minas sibi meo nomine denunciatas, tamen vana confidentia turgidi* dicunt: Non assequetur, nec obveniet nobis hoc malum, *hæc vexatio, hæc calamitas à propheta prædicta, supr. c. 6, 3, 13. Esa. 28, 15. Jer. 7, 8. & 5, 11, 12.*

Similitudo à lapillis desumpta explicatur.

In versu præcedenti obscurior est illa comparatio, à lapillis desumpta: siquidem lapilli ex frumento solent vel manibus exempti prorsus abjici: vel alio modo, seu arte indè removeri, hic autem pij servandi dicuntur, ut illi; Si cui itaq́ minus arriserit prius allata explicatio, quam saniores interpretes pleriq́ omnes tradunt, & quæ à minus ad magis concludit hoc modo: Si lapilli, qui sunt in frumento, simul à casu in terram sunt immunes, multò magis pij, qui sunt quasi pura grana, ab excidio æterno erunt liberi, dabo ei aliam, quam Jesuita Ribera indicat, plenius evolutam, atq́ ex scripturâ confirmatam expositionem,

tionem, nec à scopo prophetæ alienam, nec malè cum antecedentibus & conseqq. cohærentem. Ea est hæc. Solent Prophetæ sæpius de una metaphorâ transire ad alteram, cum utraque est nota, & ad rem subjectam quadrat. Cum itaq; Ecclesia modò agro ac semini in eo, modò domui assimiletur in scriptura: ad priorem metaphoram satis manifestà alludit Propheta, dum pios frumenti granis confert, vide Matth. 3, 12. & c. 13, 30. Ad posteriorem verò digitum intendit in seqq. quando ait: Et non decidet lapillus in terram, puta qui in domo Dei Genes. 28, 17, 1. Timoth. 3, 15. 2. Timoth. 2, 20. spirituali illo ædificio Ephes. 2, 21. templo Dei 1. Corinth. 3, 11. petræ Matth. 16, 18. ac lapidi angulari Christo Eph. 2, 20. inhæret, tanquam lapis parvus, & vivus, superædificatus 1. Petr. 2, 5. excisus à rupe illâ antiqua Abrahamo Esa. 51, 1. 2. Et propterea satis convenienter illud fit hoc loco, quia in fine v. 8. Ecclesia domus Jacob, in principio v. 11. tugurium dicitur, in quo sunt rupturæ ac demolitiones, dum excidunt grana putrida & lapilli pravi & inutiles: Illa à Deo cribrata Luc. 22, 31. hi imbribus ac procellis calamitatum impulsi ac revulsi Matth. 7, 27. Luc. 8, 13. à Christo autem justo judice comminuti Matth. 21, 44.

Prophetæ de unâ metaphorâ transeunt ad aliam eodem in loco.

LOCI COMMUNES

Ex versu. 1.)

Deus non tantum in Ecclesia regnat, ut bonos defendat; Ps. 9, 8. 11. 13. & 46, 1. 5. sed etiam ut malos puniat Ps. 11, 4. 5. 6. 7. & tam diu saltem in aliquo templo manet gratiosè, quamdiu vera doctrina & legitimus sacramentorum usus mediocriter viget Matth. 28, 20. ac ali-

Quamdiu Ecclesiæ cives sunt pij, Deus illis adest.

qui saltem fructus Christianis dignos edunt Luc. 13. 6. Matth. 21, 41. quod si planè non fit, discedit ipsius gratia, remanet tantùm ejus ira, siquidem non habitat tantùm in templis manu factis Act. 8, 28. & 17, 24. nec cum reprobis Ps. 5, 5. 6. 7. sed ejus tugurium est Salem. Ps. 76. 3.

Ex versu 2. & 3.)

Dei manũ nemo effugit.

I. Ex Dei irati manu nemo potest eripere Job. 10, 7. nec ullus eam effugere Ps. 139. 10, sicut testantur exempla Zidkia. 2. Reg. 25, 4. 5. Jonæ 1, 4. 5. aliàs multi evaserunt pericula maxima salvi, verum Dei auxilio adjuti Esa. 43, 1, 2. Cor. 11, 23. exemplum insigne habes in Apostolo.

Ad Deum in malis confugiendum.

II. Deus est, qui afflictiones affert justo suo judicio supr. cap. 3. 6. is autem si pro nobis, nil contra nos Rom. 8. 31. Ps. 27, 1. Psal. 56, 4. 5. Ad hunc igitur in omnibus calamitatibus per mediatorem confugiendum est, Dan. 9, 5. 17. Rom. 8, 34. Eph. 1, 18.

Ex versu 4.)

Providentia divina non tantùm tuetur bonos, sed etiam punit extremè malos Psal. 18, 27, 28.

Ex versu 5.)

Contra Dei potentiam nihil satis firmum c. 1, 3. 4. 7. Psal. 10, 5. 6.

Ex vers. 6.)

Dei majestas elucet in cælo, mari ac terra sup. c. 4. 13. & 5. 8.

Ex vers. 7.)

Qui multum accepit, ab illo multum reposcitur.

Non respicit Deus in suo judicio, quanta quis acceperit ab ipso beneficia, sed quanta erga ipsum fuerit gratitudine ac fide 1, Cor. 10, 2. 3. 4. 5. Matth. 11, 20. 21. & quò major nobis obtingit gratia, tantò atrociores pœnæ

manent

manent contemptores, ac proinde etiam atq; etiam cogitandum est omnibus, quod monet autor ad Hebr, cap. 2, 1. 2, 3. Sic enim omnis transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit, quomodo nos effugiemus, si neglexerimus tantam salutem? Confer. Luc. 12, 48.

Ex versu. 8.)

Dei reliquiæ.

I. Semper sibi aliquas reservat Dominus reliquias, quas mundo pereunte servet, ut in diluvio Noachum, in tyrannide regis Ægyptiaci Mosen, in captivitate Babylonica Danielem vide cap. 11. epist. ad Rom.

II. D. Osiand. Sicut bonus paterfamilias non tantùm procurat, ut uxor, liberi & servi victum & alia necessaria habeant, sed etiam hoc agit, ut ipsorum mores regantur & corrigantur, & insanabiles domo ejiciantur: ita pater cœlestis non tantùm in hoc vigilat, ut Ecclesiæ benefaciat: sed etiam ut errantem & graviter peccantem populum castiget.

Ex versu 9.)

orandum

Quia scimus per mittente Deo facilè posse fieri, ut à diabolo velut triticum cribremur, cautè agamus, ac oremus, ne deveniamus in tentationem, Luc. 22, 31, 46.

Ex versu 10.

Securitas carnalis.

Securitas carnalis gravissimum est flagitium & à Deo punitur, sup. 6, 1.

PARS POSTERIOR.

Versu. 11.)

Tandem propheta post severissimas minas consolationes proponit dulcissimas, verè Evangelicas, in Christo com-

Messiam cur toties proponant prophetæ.

complendas, siquidem, quandocunq; volunt prophetæ aliquid veræ ac solidæ spei afflicto populo facere, proponunt Messiam, quia in ipso etiam reliquæ omnes promissiones sunt certæ ac fiunt ratæ 2. Cor. 1, 20. Quia vero in V. T. temporis articulum, quo venturus erat ille in carnem, ignoraverunt & inquisiverunt, 1. Petr. 1, 11. in genere plerumq; loquuntur in die; *seu in tempore* illo, *puta à sanctis ex spiritu Dei latè indicato, Gen. 49, 10; Dan. 9, 24. & à Deo præcisè constituto, Gal. 4, 4. Joël; 2, 28. & 3, 1. Ad tempus igitur N. T. prophetam respicere certum est, & non ad reditum ex captivitate Babylonicâ, quia Israëlitis, non Judæis loquitur. Die vero illo salutis ac gratiæ, 2. Corinth. 6, 1. Roman. 13, 11. in Christo incarnato ac passo consummatæ Johan. 19, 30. quando corpore adveniente cessaverunt umbræ Col. 2. 17. Hebr. 10, 1. & major Evangelij lux affulsit. Rom. 16. 20. 2. Tim. 1, 9. 10. Hebr. 8, 6. quomodo lex fuit introductio ad spem meliorem, Hebr. 7, 19.* erigam *per prædicationem Apostolorum Ecclesiam Christi, hactenus cùm per corruptelas falsorum doctorum, Matth. cap. 5, 6. 23. tum per crudelitatem tyrannorum, de qua lib. Maccab. passim, valdè collapsam & proinde non magnum ac potens ædificium, sed* tugurium, quòd cecidit, *ac ruinam totalem jamjam minari videtur, suprà c. 5, 2.* sepiam rupturas earum, *unius cujusque puta Ecclesiarum particularium* ac demolitiones ejus restituam & reædificabo illud, *ut sit tam gloriosum, quàm fuit* olim, *ob Dominum gloriæ præsentem in carne, longè gloriosius templo priori. 1. Cor. 2, 8. Hag. 2, 8, 10. Atq; ita rectissimè per Davidis tugurium Christi Ecclesiam intelligimus: tum quia hîc, eò quod*

Tuguriū Davidis Ecclesia.

David

David insignem ejus gessit typum, sapè appelletur David in V. T. Hos. 3, 5. Jer. 30, 9. Ezech. 34, 24. & 37, 24. & non secus varias, imò omnes gentes suo regno spiritnali in N. T. sit subjecturus per Apostolos, Eph. 1, 22. & 3, 6 Col. 1, 27. 28. Matth. 28, 19. ut olim David multas gentes regno Israëlitico adjecit, 2. Sam. 8. & 10, tum quia de vocatione ejus (Ecclesiæ) in N. T. futura hic agatur, ut explicat S. S. per Jacobum, Act. 15, 13. 15. 16. 17. In cujus dicti collatione cum textu præsenti si observaveris ea, quæ suprà ad c. 5. v. 25. generatim dicta sunt, facilè, quomodo conciliari queant, videbis, nempe, quod I. sit facta additio verbi ἀναςρέψω, quia & jam sapè antea fuerat Ecclesia hæc variis modis instaurata, 2. Reg. 11, 12. 18. c. 13. 4, 2. Chron. 29. & 30. Exod. 10. Neh. 8, 10. & jam planè recessisse Deus videbatur. II. Levis quædam, quoad verba, mutatio, manente sensu & scopo eodem. Nam per metalepsin quærere Dominum dicuntur, qui postquam quæsiverunt, & invenerunt, futuri sunt heredes, & quod propheta Edomæis in specie, Apostolus in genere dilucidiùs de omnibus hominibus, extra Ecclesiam viventibus, Dei hostibus Joël. 3, 19. exponit. Quod si etiam omnino existimas vertenda esse verba hebræa, ut possideant reliquias Edom neq; sic sententiæ Evangelistæ quicquam decedit, siquidem illos tantùm ad se recipit & possidet vera Ecclesia, qui quærunt ex animo Deum, ut sanè supervacaneum sit, & esse videatur in rebus adeò perspicuis hærere diutius. Vide etiam quæ habet Calvinus lib. 2. Instit. cap 6. §. 3. & Bellarminus lib. 2. de cultu sanct. cap. 6. (mihi) pag. 319.

Christus vocatur David.

Collatio dictorum hujus loci & Act. 15. 13. 15. 16. 17.

Est hic additio.

Mutatio.

Vers. 12. Finis autem restitutionis Ecclesiæ in N. T.

illustris est vocatio gentium Eph. 2. *de quâ ita vaticinatur Amos,* ut hæredes sint cum reliquiis Edomi,& omnibus gentibus, quæ vocantur de nomine meo, *Christi vid. licet Christiani Act.* 11, 26. *confer Joël.* 2. 32. dictum Jehovæ, qui facit istud *omne, scilicet quod hactenus promisit, quomodo ad perspicuitatem ab Apostolo vertitur ; ut vel hinc satis liquere possit, quomodo pro sua omnipotentia Deus ex erroribus quibusdam verum, ex malis bonum noverit elicere. Cum enim procul dubio is, qui est autor græcæ versionis tum usitatæ, deceptus cognatione literarum legisset perperam in textu hebræo pro* ירשו ידרשו; *pro* את אתי; *pro* אדום אדם, *ita hunc lapsum direxit Spiritus S. ut nihil, quod à vero sensu esset alienum, inde liceat elicere, sed ad ædificationem & institutionem gentium faciant omnia. Quæ etiam causa est, quod Lucas non adeò præcisè omnia ex illâ versione Græca hoc loco citaverit. Quin nec illud prætereundum, cum dicat Jacobus, hos esse sermones prophetarum, ipsum non tantum ad unicum hunc ex Amos, in quo pleraq; extant, sed potius ad multos alios similes prophetarum locos in suâ citatione respexisse, quos tamen neq; omnes, neq; integros, sed tantum eorum summam annotare hoc loco visum est, ut non sit mirum, omnia omnino verba in utroq; loco* παράλληλα *esse eadem, qualem multorum scripturæ ex V. T. locorum cumulationem in N. T. cùm alibi sæpè, tùm Roman.* 3, 10. *&c. insignem observare licet. Inspice parall. sacr. F. Junij.*

Deus ex quibusdã erroribus novit verum elicere.

Lucas in Actis ex multis locis citat

Vers. 13. *Atq; hactenus promissio Evangelica duplex, sequuntur ejus fructus & commoda valdè magna*

in

in restauratum Christi regnum redundatura. De primo, insigni nimirum spiritualium omnium rerum copiâ, more prophetarum per corporales benedictiones spirituales describens, quia istis populus rudis erat assuetus Lev. 26, 5. ita ait (confer Joël. 3, 16. Eph. 1. 3.) Ecce n. dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quibus attinget arator messorem, & calcator uvarum *seu vindemiator* satorem, *hebraicè, protrahentem semen Psal. 126. 6.* & stillabunt montes mustum & omnes colles præ pinguedine colliquescent. *Et ut verè dicam de spirituali benedictione, quod est apud Poëtam,*

Sub nomine benedictionum corporalium spirituáles intelliguntur.

Joël. 1, 5.

---- subitis messor gaudebit aristis,
Rorabunt querceta favis, stagnantia passim
Vina fluent, oleiq; lacus. Claudian. lib. 1. in Ruffin.

Vers. 14. De secundo fructu, plenariâ nimirum ab hostibus liberatione hæc subjicit: Et reducam captivam multitudinem populi mei Israëlis *Psal. 126, 1. (ubi in textu hebræo iterum est elegans paronomasia : וְשַׁבְתִּי שְׁבוּת) neq; tantum reducam ex exilio, sed etiam deinceps faciam, ut habitent in summâ securitate ac tranquillitate Jer. 23, 5.* Nam ædificabunt civitates desolatas *Esa. 65, 21.* ut inhabitent, & conserent vineas, ut bibant vinum earum, facientq; hortos, ut comedant fructum eorum, *ut ita tollantur maledictiones & minæ legis suprà c. 5, 11. denunciatæ. Nugæ persolæ revera sunt, quando hæc ita (referente Franc. Lambert.) explicantur, per civitates status conjugatorum, per vineas status prælatorum & magistrorum, per hortos status monachorum intelligi.*

Vers. 15. Et deniq; ita stabiliam eos (qui est ter-

num litigat, neq; in seculum iram asservat Ps. 103, 8. 9. quapropter surgens miseretur Sionis, quia tempus est faciendi ei gratiam, quia advenit statum tempus Psal. 102, 14. 15.

II. Licet sæpè miserrimus Ecclesiæ sit status, ut vix videatur tugurium Esa. 1, 8 illa domus Dei Gen, 28, 17. 2. Tim. 2, 20. Vide. 1. Reg. 19, 10, 14. Matth. 24, 37. 38. Tamen semper duratura est, usq; ad mundi finem Matth. 16, & 28, 20. 1. Cor. 11, 26, Eph. 4, 11. Ecclesia durabit,

Ex versu 12.)

Electi pauci Matth. 20, 16. respectu multitudinis pereuntium dicuntur reliquiæ in scripturâ Esa. 1, 9. & 10, 21. Rom. 9, 27. Confer 1. Reg. 19, 18 Roman. 11, 5. quod notes contra Huberum, qui omnes omninò homines propriè electos esse somniat, in quo absurdo errore est contradictio in adjecto. Si enim omnes, non est electio: si electio, non omnes. confundit verò is dilectionem cum electione, quarum illa ad antecedentem (puta universalis) Dei voluntatem, hac peculiaris nempe, ad consequentem pertinet. Pauci sunt electi.

Ex versu 13.)

Euntes per vallem lacrymarum cum Christo Psal. 23. 4 benedictionum tandem operit pluvia Psal. 84, 7. ut boni cordis ager proferat fructum centuplum, Matth. 13. 23. in spirituali Dei arvo, 1, Cor, 3, 9 in quo plantant & rigant verbi divini ministri, ib. Deus autem dat incrementum, ib. v. 6. & sol justitiæ emittens suæ gratiæ radios Mal. 4, 2. facit, ut plantæ fructum ferant plurimum, qui maneat Joh. 15, 16. quam vim habent plantulæ illæ cœlestes ab hortulano cœlesti. ib. v. 1. Esa. 61, 3. Deus cœlestis hortolanus benedicit suis plantulis.

qui omni benedictione eas operit, Eph. 1, 3. Plura vide Joël, 3. 18. Quomodo cuiq; sua conscientia sit vinea, & anima sancta Dei paradisus; exponit h. l. à Lap. quem consule.

Ex vers. 14.)

Christus est noster redemtor.

Christus captivos redemit à potestate tenebrarum mortis & diaboli, Col. 1, 13. Hebr. 2, 14. 15. & ab omnibus hostibus. Luc. 1, 74. Zach 9, 11. captivam ducens captivitatem, Psal. 68, 19. exuens potestates, & de illis triumphans, Col. 2, 15. ut liberati ipsi serviamus Rom. 6.

Ex versu 15.)

I. Tum Israëlitæ verè plantantur in terra sua, nec amplius evelluntur, cum Christiani in vitam æternam veram patriam transferuntur: Inde enim nunquam exturbabimur. Sed & in hac vita nemo vi nos separabit à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro Rom. 8, Osiander.

II. Electi non possunt perire finaliter, Matt. 24. 24. Ose. 2, 6, sed qui in ipsis cœpit, idem perficiet, usq; in diem Jesu Christi, Phil. 1, 6. 1. Petr. 5, 10 Hunc supplices rogemus, ut nos etiam in veritate agnitâ sanctificet Job. 17, 17. à malo conservet ib. v. 15. ut inoffenso cursu pergamus repleti fructibus justitiæ, qui fiunt per Christum ad laudē & gloriam Dei, Phil. 1, 10. 11 Cui sit gloria in secula seculorum, Heb. 13, 21.

Gratia & gloria tibi Domine,
qui juvisti me in hoc prophetandi onere.

Esa. 46. v. 3.

בֵּית יִשְׂרָאֵל הָעֲמֻסִים מִנִּי־בֶטֶן ׃

I. In-

I. INDEX,

Locorum ſcripturæ, qui in hoc Commentario breviter illuſtrantur.

II. INDEX.

Autorum, qui in hoc Commentario citantur.

à Caſtro

Osian-

III. INDEX

Vocum Hebræarum, qvarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hic declarantur.

Et Græcarum.

IV. INDEX.

Rerum & Verborum memorabilium.

INDEX.

Caphthor

Secu-

Errata.

P. 10. l. 24. lege peccatis. p. 13. l. 8. beneficiorum. p. 16. l. 1. PRIMUM. p. 22. l. 21. Sa. p. 25. l. 5. אָוֶן p. 30. ad marg. IV. p. 22. l. penult. Prov. 30. p 98. l. 27. eduxit. p. 101. ad marg. Solennes. p. 108. l. 5. Zach. p. 122. l. 5. aliis. p. 164. l. 7. Lucæ. p. 165. l. 5. diffluentes. p. 216. l. ult. angustior. p. 240. l. 26. particularium.

Reliqua, si quæ occurrent, facilè benevolus Lector ipse corriget.

Zachariæ 12. *v.* 3.

וְהָיָה בַיּוֹם־הַהוּא אָשִׂים אֶת־יְרוּשָׁלַםִ אֶבֶן
מַעֲמָסָה לְכָל־הָעַמִּים כָּל־עֹמְסֶיהָ שָׂרוֹט יִשָּׂרֵטוּ
וְנֶאֶסְפוּ עָלֶיהָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ׃

Ne sequens pagina vacua daretur Lectori, placuit pro tempore ei implendæ adjicere aliquid de propheta hoc nostro ex aliis.

PRÆFATIO IN AMOS PROPHETIAM.

OZias rex cum Dei religionem solicitè æmularetur, nimio religionis amore provocatus, contra præceptum legis Moysi arrepto thuribulo (ut in historia libri secundi Paralipomenon ostenditur) sacerdotale officium præsumere conatus est. Ob eam rem terræ motum in templo Dei exortum constat, cujus etiam Zacharias propheta meminit. Ante hunc itaq; terræ motum Amos propheta temporibus prædicti regis, & temporibus Jeroboam filij Joas regis Israël, in eas gentes, quæ lectione comprehensæ sunt, iram Dei ob eas causas quas memoravit, affuturam denunciat. Et quia

idem

idem propheta in ſequentibus ait, Super tribus impietatibus, & ſuper quatuor non convertam eum: tertio peccatorum indulgentiam Deum dare poſſe ſignificat, quem quartò eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam nec indulgentiam daturum annunciat. Nam per ignis ſimilitudinem, quem in prædictas gentes immittendum prædixit, gravem atq; irrevocabilem Dei iram ad everſionem earumdem civitatum proceſſuram voluit demonſtrare.

ALIA PRÆFATIO.

Ex principio commentariorum Hieronymi in Amos.

HIc Amos propheta & paſtor, qui ſequitur Joëlem, & eſt tertius duodecim prophetarum, non fuit pater Iſaiæ prophetæ, quanquam & ille propheta extiterit. Nam aliis literis ille, aliis iſte apud Hebræos ſcribitur: quæ differentia literarum apud Latinos non habetur; & ille fortis vel robuſtus, hic verò populus avulſus interpretatur: quia loquitur contra decem tribus, quæ per idololatriam à cultu Dei, & à regno David erant avulſæ. Fuit autem cognatio ejus ex oppido Thecue, quod ſex miliaribus diſtat â Bethleem: curam gerens pecorum in latitudine camporum, qui ſunt proximi oppido Thecue, in quibus humo arida atq; arenoſa nihil omninò frugum gignitur, ſed uberrimis paſcuis abundant, & ideo cuncta ſunt plena paſtoribus, & ſterilitas terræ compenſatur pecorum multitudine. Ex hoc numero paſtorum fuit Amos, imperitus ſermone: ſed non ſcientia. Prophetavit autem eiſdem temporibus, quibus Joel, Nahum, Jonas, Oſee, Iſaias; Sed aliquantulum exorſus eſt prophetare ãntequam Iſaias. Maximè autem contra decem tribus locutus eſt, pauca de duabus inſerens. Hunc ablatum de numero paſtorum miſit Dominus, ut in Samaria prophetaret: quem Amaſias ſacerdos frequenter plagis afflixit; tandem filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit. Poſthæc ſemivivus in terram ſuam evectus,

... dolore vulneris exſpiravit, ſepultusq;

Cornelius à Lapide hæc habet. S. Epiphanius in Amos, & Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom, censent, Amos patrem fuisse Isaiæ, ipse enim cap. 11. vocat se filium Amos. Verùm hunc Amos alium esse ab Amos patre Isaiæ, docent S. Hieron. S. Basilius in 1. cap Isaiæ. Augustinus l. 18. Civit. Dei c. 27. Isidorus in vita Amos & alij. Quod autem de solo arido dixit Hieronymus, ubi sita fuerit Thecue, dissentit S. Cyrillus, qui censet Thecue fuisse irriguam, ideoq; compascuam; in qua, ait. gentes quamplurimæ pascunt pecudes, est enim propter amplitudinem, irrigationem, herbarumq; diversitatem ad ovium greges alendos percommoda. Fuit ergo Amos rusticus & armentarius, indeq; à Spiritu Sancto qui humiles exaltat, evectus ad prophetiam, æquè ac David & alij quos recenset Nazianzenus orat. 25. S. Gregorius homil. 30. in Evangel. Hinc crebrò sumit similitudines à rure. Fabulantur R. Salomo & R. David terram Thecue utpotè olivarum fertilem progenuisse viros sapientes: regiones enim oleis abundantes gignere viros sapientes, ideoque Amos nominare locum originis Thecue, ut inde liqueat ejus sapientia. Verùm hæc eorum de more fabella est, forte à gentibus hausta, qui Minervam, quæ Dea est Sapientiæ, faciunt olivæ inventricem, juxta illud Virgilij Georg. 1.

Adsis ô Tegeæ favens, oleæq; Minerva
Inventrix

In hoc deserto Thecue, ubi vixit Amos, vitam egerunt postmodum multi miræ sanctitatis monachi, qui à Saracenis sunt interfecti, uti narrat Cassianus collat. 6. cap. 1. Hæc ille, de quibus judicium Lectori esto liberum, quem valere & salvere plurimùm jubeo.